fol. 10. n. 49

Theodori Bibliandri commentarius
de fatis Monarchiae [illegible]
de pace Ecclesiae [illegible]



K

N IV P 16

855

Bibliander. Theodor.
eigentlich Buchmann
Professor der Theologie zu Zürich
1504 – 1864.
Verfasste u. a. auch eine Übersetzung
des Corans und schrieb d.
Leben Mahomets.

DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 222
COLLECTION

1019

10173

DE FATIS MO-
NARCHIAE ROMANAE SOM-
NIVM VATICINVM ESDRAE PROPHE-

tæ: quod THEODORVS BIBLIANDER interpre-
tatus eſt, non coniectatione priuata, ſed demonſtra-
tione theologica, hiſtorica, & mathe-
matica.

AD IVLIVM III. Papam, & cæteros Eccleſiæ Romanæ præſides, conſideratio de Iudæorum & Chriſtianorum defectione à Chriſto, & eccleſia & fide catholica: itemq; de Iudæorum & Chriſtianorum conuerſione ad CHRISTVM IESVM, & Eccleſiam Dei ſanctam, ac fidem catholicam.



BASILEAE.

AD IULIUM III PAPAM, ET cæteros præſides eccleſiæ Romanæ, Conſideratio de Iudæorum & Chriſtianorum defectione & conuerſione: quam loco præfationis Theodorus Bibliander poſuit.

NON me fugit, Antiſtites eccleſiæ Romanæ, tum uos, tum alios nonnullos iudicaturos eſſe, quòd actum agam, ingerēdo uobis illa, quæ ante alios nō modò ſcire, ſed etiam docere debetis: & Mineruam doceri à porco: & nō tam aquilam mitti à me Romam, quàm noctuas (ut in prouerbio dicitur) Athenas. Aliqui etiam non modò ſtultitiæ, uerùm etiā ſuperbiæ aut maleuolentiæ imputabūt, quòd uobis offero ſcriptum, quod continet non leuē reprehenſionem procerū quorundam ueſtri ordinis. Equidem uobis nō grauatim permitto iudiciū & de ſcripto, & de animo meo, ex quo profectū eſt: ſi, quemadmodū claues ſcientiæ, & cenſuram dogmatū & interpretationis diuinarū ſcripturarum ſumitis, ita etiam ſecundum leges Chriſtianas iudicaueritis. Leges Chriſtianas autem intelligo, ſacrarum literarum canonem, & charitatē Dei atq; proximi, quę nihil agit perperam, nihil capit in deteriorem partē, quod animo iuuandi, nō lædendi factū eſt. Alioqui enim quis tam perfectus, & ad unguē expolitus homo eſt, qui iudicia quorūlibet ſubire ultrò uelit, uel tutò poſſit? Conqueſtus enim eſt diuus Hieronymus, theologorum Latinorū princeps, melioribus eccleſiæ Romanæ tēporibus, ſe & ſcripta ſua premi iudicijs iniquioribus, neſcio cuius Phariſaici ſenatus in urbe Romana, & (ut uerbo presbyteri Cardinalis utar) meretricis purpuratæ. Sit uenia huic dicto, Antiſtites eccleſię Romanæ, quod ex lectione ſummi doctoris mihi uenit in calamum. Proinde ſi res ipſa clamat, me ueſtrā ſalutē quærere,

& ſolidam gloriam, & eccleſiæ Romanę, atq; aliarum eccleſiarum, & politiæ Chriſtianæ totius incolumitatem: puto æquiſsimum eſſe, ut ſtatuatis, hæc à me ſcripta eſſe, & uobis ante alios omnes oblata, ſicq; munuſculũ non aſpernamini, nuncupata & dedicata uobis, non ex odio & maleuolentia, aut inſolentia, aut ex alia praua in quenquam mortaliũ affectione: ſed ex animo cupido prouehendi notitiam Chriſti ſeruatoris, & gloriam: nec nõ eccleſiæ Dei ſanctæ incolumitatem, pacem, decus, & ſingulorum Chriſtianorum, Mahumedicorum, Iudæorum, Paganorũ, quantum à me per Domini bonam uolũtatem & opem fieri poſsit, æternã & temporariam ſalutem. Quod res ipſas attinet, ſi quid adfero in medium quadrans ad normam diuini uerbi, quod demonſtratione euidenti planum fecero, id demum probetur, id recipiatur, id referatur acceptũ Chriſto principi, à quo nobis uniuerſum bonũ confertur: id quiſq; ad ſuam utilitatem & communem ſalutem uſurpet, atq; conuertat. Sin quicquam profero authẽticis ſcriptis Apoſtolorum & prophetarum aduerſum & repugnans, non uno uerbo illud defendam, quin damnetur, ac repudietur ut noxium & impium. In cæteris, quæ humana doctrina & ingenio, & coniecturis euolui & explicari oportet, de quibus etiam dubitare & diſcrepare poſſunt homines amicíſsimi, ſalua pietate Chriſtiana: mihi concedatur, quod alijs omnibus ſemper fuit conceſſum apud æquos iudices. Liberum mihi ſit meum ferre iudicium, meam dicere ſententiam: lectori liberum ſit probare, dãnare, abſoluere, ampliare. Vt Hieronymus ſæpenumero ea conditione utitur in ſacrarum literarum interpretatione, & alij theologi excellentes, qui adferunt in rebus ambiguis & ſuam & aliorum ſententias, quandoq; plurimum diſsidentes, utq; muſici dicunt, δὶς διὰ πασῶν: lectoribus autem relinquunt liberum iudicium, ut quod rationi conſentaneum uidetur, approbent: cætera reijciant, aut in medio relinquant.

Porrò quibus de cauſis in hoc ſcribendi curriculum in-

greſſus.

greſſus ſim, breuiter exponam, ſi non moleſtum uobis eſt legere. nam ad inſtitutum hoc pertinere iudicaui eam narrationem. Ante annos uiginti, quum eccleſiaſtica ſchola Tiguri, in qua eruditus ſum, poſtularet interpretē, qui Græcam LXX ſeniorum translationem ueteris teſtamēti, ſemper in magno precio & authoritate habitā in eccleſijs Chriſti, exponeret: eccleſiæ præſides me in eum locum & ordinē cooptarunt, approbante hanc illorum electionem urbis Tigurinæ ſenatu, uiris Chriſtiana pietate, iuſtitia, prudentia, cōſtantia, cæteriſq; uirtutibus ornatiſsimis. Etſi uerò gradus ille interpretandi linguas infimus eſt inter eccleſiæ gradus, tamen uelut in baſi & fundamento eccleſiæ poſitus, inprimis etiā utilis & neceſſarius iudicatur à Paulo apoſtolo, dum ad Corinthios & Epheſios ſcribens, ordinat eccleſiæ ſtatum. Quemadmodum in omnibus liberalibus ſcientijs, niſi fundamenta grammatices probè iacta fuerint, nemo ad ſcientiæ abſolutam cognitionem pertingere poteſt. Itaque hunc ordinem ſemper iudicaui ampliſsimum, & plus dignitatis habere, quàm ut ei reſpondere poſſem. Sedulò tamen annixus ſum hactenus, ut non fruſtra eum locum tenerem, & non fruerer eccleſiæ ſalario honeſto, ipſeq; nihil uiciſsim fructus adferrem. Quem conatum mihi diuinitùs iniectū, gratia & auxiliū Chriſti ſic fortunauit, ut uiris pijs & doctis hortantibus, libellos aliquot in publicum ediderim, qui bonis hominibus non prorſus diſplicuerunt, & non fuerunt inutiles: ut ex literis ad me ſcriptis, & coràm ex uiris honeſtis, minimeq; adulari aſſuetis, cognoui. Quanquam critici ueſtri, eos libellos à me ſtudio iuuandi remp. Chriſtianā ſcriptos, damnarunt, ut tanquam noxij & impij & ſacrilegi Vulcano abſumantur, non legantur, non uerſentur in manibus hominum: meumq; nomen adſcripſerunt in publico hæreticorum catalogo. Quàm ſint iſti cenſores librorum, uel potius Ariſtarchi & Areopagitæ ueſtri, ſapiētes, graues, docti, iuſti, non habeo ſatis compertum: me tamen ſolatur conſciētia, quòd animo literas humanas & ſacras explican-

 di, &

di, & commodandi ſtudio, nõ lædendi quenquam, operam nauaui ſcribendis libris. Necꝗ me iſtorum atrox iniuria uel deterruit ab officio meo, uel irritauit ad uindictã. Præcepta enim & exempla Chriſti principis, & ipſius apoſtolorum atque prophetarum, plus habent ponderis apud me, quàm iſtorum criticorum leues ſententiæ, & fatua fulmina.

Proinde Chriſto fretus, pergo in itinere cœpto legendi & explicandi ſcripturas, & ſtudeo prodeſſe non tantùm eccleſiæ Tigurinæ, cui ſeruio, & memini quid ei præcipuè debeam, ſed etiam alijs hominibus: ut lex charitatis, & κοινωνία illa eccleſiæ, omniumꝗ chariſmatum mutua communicatio poſtulat. In eo uerò propoſito animaduerti, quod in ueſtrã conſiderationem, eccleſiæ Romanæ Antiſtites ſummi, medioximi, infimi, proponendum eſſe omnino iudicaui: ut uaticinia de Iudęorum & Chriſtianorum defectione à Chriſto Ieſu, & ipſius Eccleſia ſancta, & fide catholica, rurſumꝗ de cõuerſione eorundem populorum diligentiſsimè excutiantur. Nam ſcripturæ ſanctæ ad ſalutem ſunt exhibitæ omnibus gentibus, & ſingulis hominibus: & in eum ſcopum eſt omnis tractatio ſcripturæ ſanctæ referenda, ut fidei Chriſtianæ & uitæ ſanctæ ædificium rectè conſtruatur, & cõſeruetur, & reparetur. Nemo enim ſeruari poteſt, qui Chriſtianiſmum uerum, & ſempiternũ, & unicum nõ tenet. Quemadmodum apoſtolus Petrus ait: Non eſſe aliud nomen datum ſub cœlo inter homines, in quo nos ſeruari oportet. Et in ſymbolo Athanaſij Alexãdrini pontificis: Quicunꝗ uult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt, ut habeat catholicam fidẽ: quam niſi quis firmam & illibatam tenuerit, ſaluus eſſe nequaquam poterit. Euangelium quidem ſalutis in ſumma docet pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum: eaꝗ doctrina, regula eſt uſꝗ ad conſummationem ſeculi, & propaganda per totum orbem. Nec enim ſolis Apoſtolis dictum eſt, Ite in orbem uniuerſum, & prædicate Euãgelium omni creaturæ: ſed toti etiam eccleſiæ dictum eſt, ſed Chriſtianis ſingulis dictum eſt, ut pro ſua uirili portione promoueant

Chriſti notitiam & gloriam ad Iudæos, & Mahumedicos, Turcas, Tartaros, Saracenos, & alias gentes. Nemo autem reſipiſcit, nemo conuertitur, neminem pœnitet ac piget ſui erroris, qui ſe ignorat defeciſſe à ueritate, & ſummo bono, à Chriſto ſeruatore unico: & quàm infelices ſint, qui Deo propitio carent. Vbi duæ res ſe offerunt, in quibus hominis ratio explicare ſe nō poteſt, nō magis quàm in myſterio incarnationis filij Dei: & eget prorſus iudicio diuinæ ſcripturæ, utq; illi ſimpliciter credat, ac præbeat aſſenſum diuinis pronunciatis. Alterum eſt, populum Dei peculiarem, & ex bonitate immenſa Dei adſumptum, cui promiſſa, cui leges uiuendi dederit Deus, qui mentiri & mutari nō poteſt, & quem fœdere ſempiterno & ſacramentis ſibi deuinxit, abdicari & repudiari, ut Dei populus amplius non ſit, non magis quàm populi adorantes idola. In hac quæſtione Paulus doctor gentium, legiſq; diuinæ peritiſsimus, & Ebręus natus, exclamat: O' altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſciētiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius? Ad hunc obicem reſilit Iudæus ceu claua percuſſus, & in hanc petram offendiculi miſerè impingit reiecta à Deo propter incredulitatem ſynagoga, & ringitur, & odit Chriſtum, atq; blaſphemat: nec poteſt cū ullo pacem habere, qui dicit à Deo reiectos eſſe, & ſalutē fruſtra ſperare Iudæos, quia non iuſtitiam Dei quærunt in ſolius CHRISTI IESV gratia & merito, & uirtute: uanas eſſe preces illorum, uana ieiunia, uana opera illorum, quantūuis in ſpeciem ſancta. Quum igitur hoc Dei cōſilium arcanum & iudicium ſanctiſsimū ratio humana ſuis uiribus nequeat perſpicere, tot uaticinia luculenta edita ſunt de Iudæorum abdicatione. Et tamen adhuc errant in ea luce Iudæi, ueluti cæci palpātes in tenebris. Dixit enim Propheta: Niſi credideritis, non intelligetis. Idem apoſtolus Paulus, & Petrus, & Daniel, & Chriſtus, prædixere apoſtaſiam & defectionē Chriſtianorum quoq; à fide orthodoxa & catholica, & proinde à Chriſto & ipſius eccleſia. Quàm horrendam apoſtaſiam

ſiam in Mahumedicis plerique Christianorum uident? Mahumedici autem non uident, putantque ſe populum Dei eſſe peculiarem, & eccleſiam ſanctam, utque uerbo Arabico dicunt, Muſſulmanos, id eſt, beatos, bonos, ſanctos, fideles, & perfectos cultores unius ueri Dei. Et hi quidem IESVM CHRISTVM non blaſphemant, ut Iudæi: ſed confitentur eum ex uirgine Maria natum eſſe, & prophetam excellentem atque ueraciſsimum, dediſseque legem perfectam, cui obtemperantes uitam æternam cõſequantur: eſſe denique Chriſtum & Meſsiam promiſſum, qui Antichriſtum Gog in fine ſeculorũ confecturus ſit. Verùm quia non credũt IESVM Nazarenum eſſe Dei filium conſubſtantialem patri æterno, & uerè mortuum in cruce pro hominum peccatis expiandis, & in ſola ipſius morte per fidem contingere hominibus remiſsionem peccatorum & uitam æternam: Mahumedici populus Dei, & Eccleſia ſancta non ſunt. Porrò Bonifacius octauus Papa in Extrauagantibus canonibus, de maioritate & obedientia legem ponit diram, quæ pauculos admodum Chriſtianos relinquit, multos uerò populos amputat à corpore Chriſti, & Satanæ tradit. Sic enim loquitur: Vnam ſanctam eccleſiam Catholicam, & ipſam Apoſtolicam, urgente fide, credere cogimur, & tenere. Nos quia hãc firmiter credimus, ſimpliciter confitemur: extra quam nec ſalus eſt, nec remiſsio peccatorũ. Et paulo pòſt recitatis ſcripturæ ſanctæ nonnullis dictis, quibus adſtruitur unitas eccleſiæ, ſubijcit: Igitur eccleſiæ unius & unicæ, unum corpus, unum caput, non duo capita, quaſi monſtrum, Chriſtus uidelicet, & Chriſti uicarius Petrus, Petrique ſucceſſor: dicente Domino ipſi Petro, Paſce oues meas. Meas, inquit: & generaliter, nõ ſingulariter has uel illas: per quod commiſiſſe ſibi intelligitur uniuerſas. Siue ergo Græci, ſiue alij ſe dicant Petro, eiusque ſucceſſoribus non eſſe commiſſos: fateantur neceſſe eſt, ſe de ouibus Chriſti non eſſe: dicente Domino in Ioanne, Vnum ouile, & unicum eſſe paſtorem. Et in fine: Porrò ſubeſſe Romano pontifici, omni humanæ creaturæ

declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſsitate ſalutis.

Agnoſcitis'ne præſides eccleſiæ Romanæ, Papæ Romani Bonifacij VIII. decretum? Vultis eſſe ratum & authenticum? Sunt uerò non pauci, qui putant hoc non tam eſſe teſtimonium unius Papæ, quàm baſim atq; fundamentum iſtius dominationis ſummæq; potentiæ Rom. antiſtitum. Sed hîc mihi perpendite, quot homines iugulentur hoc decreto, quot eccleſiæ, quot epiſcopatus in Aſia, Aphrica, & Europa. Homines ſanè credentes in IESVM CHRISTVM crucifixum, ſeruatorē unicum: licet minimè obtemperandum eſſe dictis & edictis Paparum intelligant, dum præcipiunt Chriſti principis legibus contraria. Quomodo etiam Petrus & Ioannes apoſtoli ſummi proceribus Iudæis renunciant in concilio Hieroſolymis: Oportet nos magis obedire Deo, quàm hominibus. *Damnationes & anathematiſmi mutui.*

Quare uos etiā æquiori animo ferre decebat aliarū Chriſti eccleſiarū iudicia, & meminiſſe illius uulgaris uerſiculi: Qui quæ uult dicit, quæ non uult, audiet idem. Græci à Latinis iam olim (prò dolor) ſunt diſiūcti: damnātur Armenij, & alij Chriſtiani. Et illi uiciſsim damnant eccleſiam Romanam, non quā Petrus & Paulus apoſtoli condidere, ſed quæ repugnat doctrinæ Petri & Pauli & Chriſti, ſi negociū examinetur paulo diligētius. Quanquā nolo hîc diſputare, utri faciāt rectius, uos'ne ueſtriq; maiores, qui tot eccleſias damnaſtis: an illi, qui propter uos, occidētales Chriſtianos auerſantur. Hoc tamen eſt manifeſtum in hac mutua dānatione, quòd nemo Chriſtianus remanet, ut olim Hilarius quoq; grauiter eſt conqueſtus, dum alij alios à Chriſto auellunt.

Alterum eſt, quod animos hominum torquet, ac uelut uertigine circumagit: eos populos, qui à fide orthodoxa & catholica deſciuere, ac ueluti nūcium remiſere Chriſto, iterū in gratiam diuinam recipi, & ad fœdus atq; omnium bonorum communionem rurſus admitti. Exemplo enim caret, ut uir honeſtus & prudens, eam quæ uxor fuerat, ſed meretrix *Alterum, quod ſine ſcripturis intelligi nequit.*

 turpiſsima

turpiſsima euaſit, iterum in totius uitæ ſocietatem recipiat. Nam & Solomon ſapientiſsimus in Prouerbijs dixit, eum ſtultum eſſe, qui retineat adulteram. Vnde Apoſtoli difficulter in animum ſuum admiſerunt, gentes, quæ patrum religione prorſus abiecta & proculcata, idola pro Deo uiuo colebant, etiam pertinere ad conſortiū Meſsiæ, & ciuitatem populi Dei, ſi crederēt in exhibitum ſeruatorem. Ac Petrus quidem, uir humaniſsimus, ab errore illo nō prius diſceſsit, quàm oraculo ſtupendo & uiſo reuocaretur: ſicut in Actis nō ſemel ſcriptum legimus. Hodieq; multi uiri docti & pij, & ſapientes, & qui cuperent omnes homines ueritatis cognitionem & ſalutem nanciſci, parum habēt ſpei de Iudæis, & Turcis, & alijs Mahumedicis ad Chriſtum conuertēdis. Quamobrem & hic oraculis diuinis attendere oportet, & non cæco iudicio rationis de ſalute hominū decernere. Paulus quidem in epiſtola ad Romanos, de Iudæorum excæcatione atq; repudio diſſerens: Nolo, inquit, uos ignorare fratres myſterium hoc, ut nō ſitis apud uoſmet ſapientes. Quia cæcitas ex parte contigit Iſraeli, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret: & reliqua. Eſdras quoq; Propheta cap. 13. poſt uaticinium hoc de fatis Rom. monarchiæ, copioſe atq; luculenter uaticinatur de Iudæorū conuerſione. Quod impletum magna ex parte in Tartaris ſiue תתרים thotharim gaudemus, & amplius implēdum in Turcis & Iudæis ſperamus. De ijs etiam Chriſtianis qui per Antichriſtum ſeducti ſunt, uaticinia loquuntur, fore ut ad ſeruatorem unicum, relictis pſeudoprophetis redeāt. Quod nō ita capi oportet uniuerſaliter, ut nullus Iudæus, uel Turca, uel Tartarus, uel titulotenus Chriſtianus perduraturus ſit in errore. Nam aliqui omnino pertinaciter hærebunt in receptis erroribus: ſed plurimi redibunt in uiam ſalutis, per Euangelij præconium.

Multis incredibile, Iudæos & Turcas cōuertēdos eſſe.

Cæterum ad hoc opus conuerſionis Iudæorum ad Chriſtum, nec non Chriſtianorum qui ab Antichriſto ſunt decepti, ut unico Eccleſiæ catholicę fundamento & capiti inhæreant,

Elias Thesbites fruſtra expectatur.

reant, Domino IESV CHRISTO, plerique omnes ueteres etiam Chriſtiani opinantur Eliam Thesbitem eſſe deſtinatum. Neque ſibi perſuaderi facile ſinũt, Antichriſtum iamdudum graſſari in mundo: quia non uident, neque fama quapiam celebriori accipiunt, Eliam è cœlo reuerſum in terras, pugnare cum Antichriſto: adiuuante etiam illum collega Enoch. Quemadmodũ & Iudæi Eliam præcurſorẽ Meſsiæ ſui futuri expectant. Quam perſuaſionem hîc refellere operoſius non conſtitui: ſed alio in opere, de præconio diuino Eliæ & Enoch: & in Oratione ad principes Chriſtianos de Pace reſtituenda, nonnihil ſcripſi. Diuus certè Hieronymus reijcit hanc traditionem, ut fabulam Iudaicam, ſicut & alia, quæ Iudæi & Iudaizantes Chriſtiani ſomniant, de regno Chriſti carnali in hoc mũdo. Sat nobis ſit Chriſtianis, ne cũ Iudæis pueriliter & aniliter ineptiamus, quod Dominus Chriſtus Iudæis dixit: Eliam ueniſſe, & baptiſtam Ioannem Eliam fuiſſe, qui Chriſtum in ſpiritu & uirtute Eliæ præceſſit, nimirũ docendo pœnitentiam, & conuerſionem ad ueterem & catholicam religionẽ in CHRISTO IESV. Proinde qui ex diuinis libris hominibus oſtendũt uel Chriſtianis uel exteris defectionem à uera pietate, idque ex doctrina prophetarum & apoſtolorum, & reuocãt homines ſummo ſtudio ad patriarcharum & prophetarum & apoſtolorum auitam religionem, ut Elias ſuo tempore fecit oppugnando ſuperſtitioſum cultum idoli Baal, cui rex Achab & regina Iezabel, & ſacerdotes & populus erant addicti: ut Ioannes Baptiſta fecit, hortando populum Iſrael ad reſipiſcentiam, & fidem Meſsiæ præſentis iam: hi nimirum Eliæ munere funguntur. *Eliæ qui.* Quemadmodum Sibylla etiam uetuſtiſsima Sãbethe, uxor Noæ, & mater Tuyſtonis, à quo Teutoni & Germani ducũt originem, de Antichriſto & Elia uaticinata eſt. Sic enim cecinit de ultimo certamine militantis Eccleſiæ ſub mundi finem: Nouiſsimæ ætatis uiri malefici erũt praui & ſtolidi, Quando in terra erunt prædicantes mendaces, ſeductores loco prophetarũ: & Belias ueniet, & ſigna multa

edet hominibus. Tunc uerò ſanctorum uirorum deiectio erit, & profligatio electorum atq; fideliũ. Et tunc Thesbites cœlo agens currum cœleſtem, ac terram ingreſſus, ſigna tria toti mundo oſtendet interituræ uitæ. Et in eodem ſermone de reſurrectione mortuorum loquens, Eliam dicit reſurrecturum eſſe cum Daniele, & Abacuk, & alijs prophetis. Itaque cap. 11. Apocalypſeos, teſtes duo & oliuæ duæ non Eliam & Enoch ſignificant, ſed nouum & uetus teſtamentum: quibus bellum infert, quicunq; dolo aut ui doctrinam contrariam adſtruit: quod Antichriſti certamen eſt.

Ego uerò antiſtites eccleſiæ Romanę haud ſum ita ignotus mihi, & tam uecors & ſtolidus, ut uel umbrã mihi arrogem Eliani ſpiritus & uirtutis. Non etiã Eſdræ diligentiã & doctrinã in ſcripturis ſanctis polliceor: neq; propheta ſum, aut filius prophetę, ut Amos dicebat. Sed ꝓfeſſoris linguarũ & grammatici munus in Eccleſia Chriſti ſortitus, intelligo eſſe officij mei, ſacrarũ literarum interpretationẽ, quantum fieri poteſt, accommodare præſentibus temporibus, ut fidei ſynceritas, & integritas morum colatur, & pax eccleſiarum conſeruetur, aut ſublata reuocetur. Etenim quàm fœda & pernicioſa diſsidia gliſcant in dies inter Chriſtianos, quàm funeſta bella & quidem ciuilia conficiant homines, & uaſtitatem paſsim inducant, commiſsis etiam inter ſe potentiſsimis in orbe Chriſtiano monarchis, quid me adtinet dicere? De concordia reducenda etiam agunt aliqui: ſed qui ueram cauſam omnium tragœdiarum in orbe toto explicent, pauciores uideo. Quibus meam opellam adiungere uiſum eſt. Et collatis quidẽ uaticinijs diuinæ ſcripturæ & Sibyllarum, & doctorũ Eccleſiæ, animaduerto Chriſtiani populi defectionem iamdudum exiſtere, neq; alienam eſſe Romanam eccleſiam à tam atroci peccato apoſtaſiæ: quam ex diuinis prędictionibus & hiſtoria probatę fidei cõmonſtrare oportet. Nullum autem uaticinium ad eam demonſtrationem accommodatius eſſe uideo, quàm in Eſdræ prophetæ libro quarto, imaginem aquilę tripertitę: quæ copioſius explanat

Danielis

Danielis prophetiam cap.7. de quarta beſtia, & ultima Romanorum monarchia. Itaq; libris duobus eã expoſui: quorum prior exponit generalia quædã, poſterior ordine uerba ipſius Prophetæ interpretatur. Quum enim Macrobius Theodoſius, uir conſularis, ſomnium Scipionis poſitum in ſexto libro Ciceronis de Repub. & ab eo confictum, expoſuerit libris duobus, qui ſtudioſis gratiſsimi ſunt, exiſtimaui operam utilem & ſtudioſis literarum diuinarum gratã fore, ſi exponerem diuinum ſomniũ, quod monarchiæ Romanæ diuiſionem in tres potiſsimas partes oſtẽdit, & ſingulis fata ſua præcinit. Vnum caput deletum uidemus, & Turcas obtinere Conſtantinopolim. Sed quotuſquiſq; adhuc ueram cauſam perſpexit, & Chriſtiano populo expoſuit? Mahumedis Alcoranũ triumphare in Aſia, & Aphrica, & Europa uidemus. Vtiliſsimum igitur fuerit cognoſcere, à Deo eſſe damnatam poteſtatem. Sola Romana eccleſia nondum uenit in poteſtatem Turcarũ, ex tot patriarchalibus eccleſijs. Sed quàm facilis eſt ruina, ſi non prouideatur? Quum igitur multum habeat doctrinæ & conſolationis, & admonitionis & reprehenſionis ſalutaris, hoc diuiniſsimũ ſcriptum Eſdræ: pleriſque autem hactenus fuerit ignotum, eo quòd hiſtoriæ eccleſiaſticæ & exteræ non uulgaris notitia requiritur: libenter meam operam in hac re accommodaui uſibus Chriſtianæ reipublicæ.

Vobis autem eccleſiæ Romanæ præſidibus offerre primùm, & ſi non reſpuitis, etiam dedicare uolui, ob cauſas nõ leues, neq; inhoneſtas. Quum enim libri ſacri omnes in Græcorum lingua extent, pleriq; etiam ueteris inſtrumenti Ebraica & Syrorũ lingua, unus hic liber quartus interierat, haud dubiè Iudęorum fraude, niſi maiores ueſtri lingua Latina ſcriptum aſſeruiſſent ab interitu. Quod beneficium maximum, apud uos laudare uolui: & teſtari, quanti meritò id faciant omnes boni. Deinde ſcriptũ Eſdrę habet admonitionem grauiſsimam, quæ ad uos maximè pertinet: ne quis uel ſciens, uel imprudens, poſthac illud iter ingrediatur, per

 quod

quod nonnulli ex maioribus ueſtris Conſtantini, de Chriſtiana religione & imperio meriti præclariſsimè, regnum perdiderunt.

Scio equidem horum temporum infelicitatem, quibus maximè quadrat comici Romani dictum, Obſequium amicos, ueritas odium parit. Vtq; dicit Amos, Prudens tacet, quia dies mali ſunt: quoniam odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt. Ideo qui ſibi conſulunt, tacent: utq; Romana myſteria attingam, digito labellis impoſito muſsitant, Angeronam deam imitantes, ne myſticum Romæ nomen efferẽdo, in religionẽ peccare uideantur. Aliĳ tacito ſuo nomine, Paſquillum aut Marforium interpretes adhibent: quos audio dicenda tacẽdaq; Romæ loqui. Sed Mnemonis quoque ſtatua crepuit, & annunciare uiſa fuit Domini aduentum in carnem. Quid ſi lapides iſti Romę loquantur ideo etiam, ut munere fungentes Eliæ & Enoch, Romæ iudicium ſuum prænunciẽt? Admonuit Gregorius primus, uigilãtiſsimus eccleſię Romanę paſtor, inſtare ſuperbiæ regem, & ſacerdotum humeros atq; exercitũ illi præparari: multaq; piè & grauiter dixit & ſcripſit, de moribus eccleſiaſticorum emendandis. Verùm ſurdis fabulam cecinit: & ultio diuina haud longè abfuit. Phocas enim, parricidio regnum arripiens, perdidit Rempublicam. Et Mahumed flagellum Dei ſurrexit, ultor ambitionis ſceleratæ in ĳs etiam, qui exemplum ſummiſsionis præcipuè deberent aliĳs præferre. Admonuit Benno Cardinalis in uita Gregorĳ ſeptimi animoſiſsimè & ſapienter, carpens uitia Romanorum procerum. Sed in auras euanuit admonitio. Eodem uerò tempore bellorum ſemina ſparſit Gregorius ſeptimus, & Vrbanus turbator orbis rigauit atque produxit: ut abundantiſsima quoque meſsis calamitatum inde ſuperſit hodie quoque. Admonuit diuus Bernhardus, uir doctrina & ſanctimonia inſignis, & animi præſtans magnitudine. Sunt enim nota quæ ſcripſit in libris Conſiderationum ad Eugenium Papam, quæ ſcripſit in Cantica canticorum,

canticorum, quæ dixerit in Concilio Remenſi. Eius admonitiones quia contemptæ ſunt, & diuini uerbi medicina locum non reperit, fecit Dominus, quod per Malachiam uel Eſdram noſtrum Leuitis malis comminatus eſt. Bernhardum ſecuti multi uiri egregij ex omnibus nationibus, qui ſedulò inhortati ſunt ad reformandam Eccleſiam. Bartholomæus quidē Platina, in Marcellini pontificis uita, pingit mores eccleſiæ Romanæ, quales fuerint Sixto quarto Papatum gerente, atque monſtrauit Turcam pulſantem fores Italiæ. Qui nunc quoque pulſat, ut audio. Quamobrem tempeſtiuam exiſtimaui admonitionem, & uobis ante alios omnes adhibendam: ut non ignoretur, qui nam excitarint præcipuè, & produxerint, & euexerint Mahumedicum imperium. Si uel unum ex ordine ueſtro Eſdras ad ſaniorem mentem reuocauerit, magnum erit operæ precium: & cenſeo CHRISTO ſeruatori coronas & laureas offerendas eſſe, quæcunque ſeruatoribus hominum maiores Romani dederunt: & aras ei ponendas longè maioribus de cauſis, quàm Romani ethnici Aio Locutio aram poſuerunt, quia monuit Romam de reficiendis muris: & Iunoni Monetæ, quia in terræmotu iuſsit ritè placari numina irata. Sin apud uos nullum effectum habuerit admonitio hæc (ut hactenus Franciſcus Picus, illuſtriſsimus princeps, & Ioannes Reuchlinus Germanus, Martinus Lutherus, Huldrichus Zuinglius, Ioannes Oecolampadius, alij'que uiri optimi, ualdè annitendo, ut Eccleſiam Romanam ad formam priſtinam à diuo Paulo & Petro & Chriſto traditam reduceretis, fruſtra lauerunt laterem, & Aethiopes, & Pardos maculoſos Romæ) erit tamen aliquis fructus huius uaticinij diuini apud alios: Quia uerbum Domini non reuertetur uacuum. Plura de moribus Eccleſiæ reformandis, & reditione ad CHRISTVM, ex ipſa fœdiſsima defectione, quam Papę inuexerunt orbi, cum illuſtriſsimis Germaniæ principibus, & optimatibus ciuitatum liberarum &

Imperialium

Imperialium egi. Quæ ſi uacat & lubet, poteſtis legere. Atq; utinam tempus ſit, quo non indigeatis admonitione acriore. Vos rogo, ut in bonam partem accipiatis, quæ animo ſimplici & ſtudioſo iuuandi dedi in publicum.

Scripſi ultimo die Iulij, anno

M. D. L I I I.

IN SOMNIVM DIVINVM ESDRAE PROPHETAE LIBER primus Explanationis Theodori Bibliandri.

ESDRAE PROPHETAE, ET LEGIS *diuinæ interpretis optimi, uita & doctrina.*

QVANDO interpretis munus requirit, ut ediſſerat uitam ſcriptoris, & genus ſcripti quod enarrandum ſuſcepit, principiò de Eſdra eximio propheta, & ipſius quarto libro, uñde uaticinium de monarchia Rom. tripartita deſumpſi, quædã explicare conſtitui: prẹſertim in magna iudiciorũ diſcrepantia, alijs quartum librum Eſdræ ceu apocryphum penitùs abijcientibus, alijs pro eccleſiaſtico & ſancto & diuino amplectentibus.

Eſdram igitur Leuitam fuiſſe, & ſummi põtificis Saraciæ filium, & fratrẽ pontificis Ioſedek, didicimus è primo libro Eſdræ, & tertio, & quarto: & ex Ioſephi antiquitatibus Iudaicis. Patrem rex Nabuchodonoſor capite plecti iuſsit, quia cum Zedekia rege Iudæorum contra ipſum conſpirauerat: & fratrem Eſdræ pontificem abduxit in Babylonem, quando & ipſe in Babylonem abductus eſt. De ingenij uerò ipſius Eſdræ præſtantia, & peritia rerum diuinarum, animiq; pietate, & uitæ ſanctimonia, primus liber Eſdræ ita loquitur: Eſdras autem parauit cor ſuum, ut inueſtigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Iſraël præceptum & iudicium. Itemq; in diplomate Artaxerxis, ſiue Darij Perſarum regis, appellatur ſcriba legis Dei cœli doctiſsimus, & diuina præditus ſapientia: eiq; permittitur Iudaicæ reipublicæ ordinatio, ſecundum leges Dei. Præterea in libro quarto præclariſs. habet ab ipſo Deo teſtimonium. Rectiſsimè quoq; in Suidę collectaneis uocatur νομοθέτης ἄριστος, hoc eſt, optimus interpres & doctor legum. Acta quidem

Eſdras quis fuerit.

ipſius præclara multa ſunt, quæ commemorat Eſdræ commentarius libro primo & ſecundo, nec non tertius & quartus liber, & XI liber Ioſephi: ut ſuperuacaneum uideatur, eadem hîc repetere. Idem Ioſephus teſtatur, Eſdram mortuum in ætate grandi, & Hieroſolymis honorificè funeratum. Cęterùm, Euſebius Cæſarienſis, & alij, qui tradidere illũ attigiſſe Artaxerxis Longimani, aut Memnonis etiam tempora, & illis regnantibus geſsiſſe, quæ narrat uterque liber Eſdræ & Nehemiæ, rationem temporum non probè ſubduxerunt: neq; perpenderunt, nomen Artaxerxis commune fuiſſe Perſarum regibus, ut Romanis fuit Imperatoribus Cæſaris uel Auguſti nomen Aegypti regibus Pharaonis nomen.

Scripta Eſdræ. 1. liber.

Nunc de ſcriptis etiam Eſdræ paulo diligentius eſt explicandum. Nam primùm ſcripſit commẽtarium de actis ſuis, ut Ioſue, ut Ionas, ut Mardocheus, ut Nehemias princeps. De quo libro ſatis conuenit, tum Chriſtianis, tum Iudæis, & ab Eſdra ſcriptum eſſe, & in canone diuinorum librorum contineri. Veteres Ebræi adſcribunt etiam ſanctiſsimo Eſdræ, Malachiæ ſermonem propheticum: ut diuus quoq; Hieronymus annotauit, & non aſpernatur eam ſententiam: eo quòd tempus & titulus conueniunt. Nam Malachias ſonat angelum, aut legatum, aut nũcium Dei: quod ſanè munus Eſdras præclarè geſsit. Ad hæc res eaſdem Malachias tractat, quas & hiſtoria Eſdræ. Aliqui etiam recentiores Iudæi cenſent Malachiam eundem eſſe, qui & Eſdras. Ad hæc uetuſtiſsimi Ebræorum Eſdræ adſcribũt libros τῶν παραλειπομένων, hoc eſt, derelictorũ: quàm epitomen hiſtoriæ eccleſiaſticæ ab origine mũdi uſq; ad Macedonum monarchiam, fecit ex tribus codicibus annalium Iudaicorum. De quo plura dicentur ſuo loco & tempore. Quin ordinationem libri Pſalmorum, & ſcripturæ uniuerſæ reparationem ante Chriſtum, Eſdræ adtribuunt. De quo Tertullianus uetuſtiſs. Eccleſiæ Chriſtianæ ſcriptor, de prophetia Enochi differens; Potuit abolefactam Noë in ſpiritu reformare: quemadmodum

Malachias.

Libri Paralipomenon.

Veteris inſtrumẽti reparatio per Eſdram.

quemadmodum & Hieroſolymis Babylonica expugnatione deletis, omne inſtrumẽtum Iudaicæ literaturæ per Eſdrã conſtat reſtauratum. Et Suidas in uerbo Eſdras, ὃς τῶν μὴ εὑρεθέντων βιβλίων τὰς γραφὰς ἀναμνημονεύσας, παρέδωκε τοῖς τοῦ ἔθνους: hoc eſt, qui repetens memoria ſcripturas librorum, qui non ſunt inuenti, popularibus ſuis tradidit. Loquuntur autem hi, tum Suidas, tum Tertullianus, de ijs libris, de quibus & capite 14. libri quarti Eſdræ ſcriptum eſt, Ecce lex tua incenſa eſt: & reliqua deinceps. quæ intelligi nõ poſſunt de libris Moſis, Dauidis, Eſaiæ, Iob, & aliorum Prophetarum. nam Daniel in Babylone Hieremiæ ſermones legit. Et in commentario Nehemiæ indicatur, quòd reuerſi cum Zorobabel in Iudæam, primo aſcẽſu petierint ab Eſdra librum legis, quam præcepit Dominus Iſraëli adferri: & ipſum adtuliſſe legem in cœtum. Ac poſtea: Legerunt in uolumine legis Domini Dei ſui quater in die. Cuiuſmodi multa leguntur in libro Nehemiæ, cap. 8. & 9. & in libro Eſdræ, uelut 7 capite. Præterea cui nam uideatur ſimile ueri, Ioachim regem, & proceres Iſraeliticos ſpõte in Babyloniã migraſſe, quum ſe in fidem regis Nabuchodonoſor tradidiſſent, authore Hieremia, & non ſecum diuinos libros ceu fideliſsimos comites, & unicum ſolatiũ exilij tuliſſe? Proinde quæ de lege per Eſdram reparata legimus, non de authenticis libris prophetarum oportet intelligi, ſed de expoſitionibus, quæ repoſitæ in tablinis & bibliothecis, urbe incenſa perierant. De quib. etiam plura dicentur ſuo loco.

Tertius liber Eſdræ.

Porrò autem Eſdræ liber tertius, quem eccleſiæ Græcæ & Latinæ legunt, ab Eſdra ſcriptus non eſt, ſed à ſtudioſo quopiam ex primo libro Eſdræ, & ſecundo, quem Nehemias ſcripſit, & ex hiſtoria regum Iſraëliticorum collectus. Quod Theologi nonnulli haudquaquam authoritatis leuis teſtantur, ueluti Nicolaus Lyranus, qui ex Thomæ Aquinatis ſentẽtia ita ſcribit: Videtur magis ab alio doctore neſcio quo conſcriptus, & ex pluribus collectus. Hęc ille. Porrò certamen de palma ſapiẽtiæ, in quo Zorobabel, qui ſummã

potentiam ueritati uendicauit, à rege Perſarum uictor eſt pronunciatus legimus etiam in Ioſepho Gręco & Ebraico: & uidetur ex Perſicis monumentis tranſcriptum.

Quartus liber Eſdræ, cuius'nã, & quãtæ authoritatis.

Reſtat ut de quarto libro Eſdræ, in quo uaticinium ponitur, quod annuente Chriſto ſum interpretaturus, explicem non indiligenter. Siquidem Hieronymus, theologus excellens, eum repudiauit, cum tertio Eſdræ libro: magis ſecutus Iudęorum temerariam damnationem, quàm rationem probabilem. Sic enim ſcripſit ad Domnium & Rogatianum: Nec quenquam moueat, quòd unus à nobis liber editus eſt, nec Apocryphorũ tertij & quarti ſomnijs delectetur. Quia & apud Ebræos Eſdrę Nehemię cꝫ ſermones in unum uolumen coartantur: & quæ non habentur apud illos, nec de uigintiquatuor ſenibus ſunt, procul abijcienda ſunt. Intelligit autem per xxiiij ſenes, libros totidem canonicos, & authenticos, per xxiiij ſeniores qui Deum in Apocalypſi adorare perpetuò indicantur, figuratos. At quanto circumſpectius, quanto religioſius & grauius pronunciauit uetuſtiſsimus eccleſię doctor Tertullianus, de libro Enoch itidem à Iudęis, iudicibus cęcis & perfidis, repudiato: Cum Enoch eadem ſcriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omnino reijciendum eſt, quod pertinet ad nos. Et legimus, omnem ſcripturã ædificationi habilem diuinitùs inſpirari: à Iudęis poſtea iam uideri propterea reiectam, ſicut & cętera fere, quę Chriſtum ſonant. Quod magis etiam de quarto libro Eſdrę dici poteſt: qui myſteria CHRISTI IESV, & Eccleſię atcꝫ regni ipſius, tam perſpicuè ediſſerit, quàm uix alius liber propheticus inſtrumenti ueteris. Capite nancꝫ primo & ſecundo, iuxta Latinorum diſtinctionem, ſermo eſt de Iudæorum abdicatione propter contemptum Meſsiam IESVM, & propter alia ſcelera & impietatem, decꝫ uocatione gentium ad regnum Dei & Eccleſiam ſanctam catholicam, ex diuina miſericordia: ita congruens dictis CHRISTI & Pauli, ut uideantur hinc ſententias & uerba mutuaſſe in eodem argumento.

Liber Enochi nõ repudiatus à ueteribus Chriſtianis.

Sũma quarti libri Eſdræ.

Deinde

Deinde per octo capita, uſq; ad XI. prophetiæ texuntur de liberatione Iſraelitarum ex ſeruitute Babylonica, deq; inſtauratione templi, urbis, cultus, & politię Iudaicę: & ſub eo typo de reſtitutione totius Iſraelis, & uera plenaq; redemptione generis humani per Meſsiam. ut ſolent omnes Prophetę umbras atq; figuras, & ueritatem in Chriſto exhibitam componere. Diſertè autem Meſsiam proprio nomine appellat IESVM, & oſtendit eum non modò uerum hominem, ſed etiam uerum & eſſentialem Deum: eiuſq; paſsiones & mortem, & reſurrectionem, & gloriam diuinã, & iudicium de uniuerſo mũdo in fine ſeculorum, pręcinuit. *De Chriſto apertißimè uaticinatus eſt Eſdras.*

Decimoquarto capite narratur, ut explanatio diuinę legis, quę combuſtis libris cum templo & urbe, interciderat, per diuinum Eſdram non tam ex memoria illius, ut aliqui putant, quàm ex diuini ſpiritus reuelatione reparata ſit. Nã ita legimus Dominum dixiſſe: Accendam in corde tuo lucernam intellectus, quę non extinguetur, quoaduſq; finiantur, quæ incipies ſcribere. De quo Picus Mirandulæ princeps, & in omni genere doctrinarum phœnix, hęc pronunciauit: Hi ſunt libri קבלה kabala, quod eſt, receptionis. In his libris meritò Eſdras uenam intellectus, id eſt, ineffabilem de ſuperſubſtantiali deitate theologiam, ſapientiæq; fontẽ, id eſt, de intelligibilibus angelicisq; formis exactam metaphyſicen, & ſcientię flumen, id eſt, de rebus naturalibus firmiſsimã philoſophiam eſſe, clara in primis uoce pronunciauit. Hęc Picus Mirandulanus. Et ob hos libros uulgatos, Ebręi quidam ferunt Simeonem Iuſtum è ſynagoga eiectum eſſe. Hoc ex fonte Paulum propinaſſe, quę refert de angelorũ hierarchia: hĩc doctores Ebræorũ & Eccleſiæ Chriſtianę arcana diuinę ſcripturę non pauca reſeraſſe, animaduertimus. Porrò 11. & 12. caput explicat eam partem uaticinij Danielis, de quatuor pręcipuis monarchijs totius mundique ultimę Rom. fata continet. Decimumtertium autem caput uaticinatur de conuerſione Iſraelitarum ad Ieſum Chriſtum: ut Paulus quoq; ad Romanos ſcribens, &

Auguſtinus, ut in præfatione indicatum eſt. Quod in Armenijs, & alijs Tartaris ad Chriſtianiſsimum traductis impletum gaudemus, & ſperamus adhuc uberius implendum in Turcis & Iudæis ante nouiſsimum diem, manifeſtato Antichriſto. Simul commemorat bella infidelium aduerſus Eccleſiam Dei, & ipſum Meſsiam: ſicut etiam Apocalypſis certamina illa exponit. Poſtremò capite decimoſexto, & decimoſeptimo, ſermo texitur de nouiſsimis temporibus, & iudicio Dei iuſto aduerſus omnem impietatem: utq; homines credentes in uerum Deum, per ipſius opem ſeruari poſsint in omni diſcrimine. Oſtendit enim, redundaturam eſſe impietatem, & omnia flagitia in mundo: & ob ea peccata fore bella crebra & funeſtiſsima, qualia Saracenorum, & Turcarum, & Chriſtianorum à Papa Romano inſtigatorum ſeculis aliquot fuerunt. In omnibus autem periculis & calamitatibus, magnam ſpem ſalutis oſtendit reſipiſcentibus, fidelibus, ſanctis, pijs, Deumq; inuocantibus in ueritate, & uigilantibus, atq; in uocatione diuina perſeuerantibus. Tunc, inquit, apparebit probatio electorum meorum, ut aurum, quod probatur ab igne. Audite dilecti mei, dicit Dominus. Ecce adſunt dies tribulationis, & de his liberabo uos. Breuiter, ut Dominus Chriſtus concionatur in Euangelio ſecundum Matthæum, cap. 24. & 25. ita Eſdras, diuinus interpres iudiciorum & decretorũ Dei, hoc ſermone. Et quæ futura eſſe prædixit, euentus rerũ per annos bis mille iam cõprobauit: ut de pauculis reliquis implendis minimè fas ſit dubitare. Quæ nota eſt certiſsima, & Lydius, quod dicitur, lapis ueri Prophetę, & diuinitùs inſperatæ prophetiæ, ſi euenerit quod prædictum eſt, ut Dominus Chriſtus iubet Prophetas ueros & falſos dijudicare ex fructibus, ut arbor ex fructibus ſuis cognoſcitur. Vt in Deuteronomio Moſes cap. 13. & 18. & Hieremias cap. 28. certans cum Hanania pſeudopropheta de uaticiniorum ueritate, pronunciarunt. Quas ob res iudicium eccleſiarum Chriſti, quæ tot ſeculis hunc librum Eſdræ inter ſanctos & diuinos

diuinos numerant, iudicio Hieronymi & Iudæorum, quos & ſecutus uidetur, longè præferendum eſt. Neq; dubitauit Ambroſius epiſcopus Mediolanenſis, doctor Eccleſię primarius, teſtimonium petere ex 7. capite huius libri, ad fidei Chriſtianæ articulum præcipuũ de mortuorũ reſurrectione adſtruendũ. Sic enim ſcripſit in libro de Bono mortis: malle ſe ex noſtris libris ueritatem probare, quàm ex alienis, ut cernant homines, quòd Ethnicorum ſapientes bene dicũt, à noſtris accepiſſe mutuò. Cæterùm hic liber non extat in Græcis exemplaribus, quæ hactenus mihi uidere contigit: ſed eccleſiæ Latinæ translatũ habent ex codicibus Ebraicis. Hodieq; ſermone ſcriptus Ebraico extat, ut ex ijs didici, quæ uiri docti alicubi adducunt. ueluti capite ſeptimo, ubi legimus, Reuelabitur filius meus Ieſus cum his qui relicti ſunt: Petrus Galatinus ita ſcriptum eſſe Ebraicè teſtatur, יגלה בני ישוע עם אותם שיש מחו עמו וימות בני ישוע וישוב אלי חעולם, quæ latinè ita ſonant, Reuelabitur filius meus Ieſus cum his qui lætabuntur cũ eo: & morietur filius meus Ieſus, & conuertetur ad me mundus. Ac totus liber phraſim redolet Ebraicam. Adhæc uoces aliquot uitioſe ſcriptæ, arguunt ex Ebraica lingua ſcriptum hoc transfuſum eſſe. uelut capite primo Latinus interpres dicit, In flumine Amorræo: quod proculdubio ſcriptum fuit Ebraicè, חמרה mara, ſiue amarum, ut in hiſtoria Exodi legimus. Et capite ſexto, Henoch uel Enoch corruptum eſſe apparet ex hhaioth חיות, uel בחמות behemoth, quod brutas animantes ſignificat. Et capite decimotertio, pro Azareth uel Arſareth, ſuſpicor Ebraicè ſcriptum ארץ חצר מנת æræzz hhazzar manæth: hoc eſt, terra Sarmatia. nam ultra Taurum in Sarmatia Aſiæ Iudæi collocantur, ab authoribus non leuibus. Hoc etiam non ignorandum eſt, quod in Ebraicis exemplaribus, non ſecundus, aut quartus liber Eſdræ inſcribitur, ſed tertius: nimirum quòd commentarius Eſdrę cum Nehemia primus liber numeratur, & Malachias ſecũdus, & hic tertius. Alia etiã capitũ eſt diſtinctio. Porrò quia

Quartus Eſdræ apud Ebræos tertius.

Cauſæ, ob quas Iudæi reiecerunt hunc librũ.

quia de regno & monarchia ſuprema legitima & ſempiterna Ieſu Chriſti liber hic apertiſsimè loquitur, itemq́ de repudiatione Iudęorum, & conuerſione Iſraëlitarum ad Chriſtum Ieſum Nazarenum: mirum non eſt, à ſynagoga Iudęorum excæcata, & pertinaciſsimè Chriſtum ſeruatorē aſpernante, hunc librum diuinum reiectum eſſe: quandoquidem auſi fuerunt ex libris apud eos etiam receptis & approbatis, eradere atq; delere teſtimonia euidentiora de Ieſu Meſsia. Cuius ſacrilegij redarguit eos Iuſtinus Martyr, in diſputatione cum Tryphone principe Iudæorum. Nos autem, qui Dominum Ieſum nouimus & colimus, potius iudicium diui Ambroſij & tot ſanctarum eccleſiarum ſequi decet: & hunc librum, qui non repugnat ſcriptis authenticis & canonicis, ſed per omnia congruit, inter ſacros, eccleſiaſticos, & diuinos libros adnumerare: utq; intelligatur ab omnibus, operam dare ſedulam.

DE IMAGINIBVS DIVINIS ET *ſomnijs atq; uiſis Prophetarum.*

CLemens Alexandrinus libro tertio Pędagogi, quo uitam Chriſtianã informat, cap. 8. docet, ὅτι αἱ εἰκόνες καὶ τὰ ὑποδείγματα μέγιστον μέρος τῆς ὀρθῆς εἰσι διδασκαλίας. οὐ γὰρ μικρὰ ῥοπὴ εἰς σωτηρίαν, τὰ ὑποδείγματα. hoc eſt, Quòd imagines & exempla ſint maxima pars rectæ doctrinæ: quoniam non leuis impulſio ad ſalutem exiſtit in exemplis. Vocat autem imagines, in quibus theoria & ſpeculatio ſimilis rei proponitur: maximè autem res geſtas, ut conflagratio Sodomæ & urbium uicinarum, Dei uindictam oſtendit in omnes impios. Cæterùm diuinę & propheticæ imagines latè patent. Sunt enim in hoc genere, ſimilia & parabolæ: ut in ſermonibus Chriſti, regnum Dei uarijs parabolis adumbratur. Sunt fictę narrationes, ut apologus Iotham in libro Iudicum. Sunt res corporeæ, ut tabernaculum cum toto inſtrumento exemplaria fuere cœleſtium rerum, ſicut Moſes, & Paulus ad Ebręos ſcribens, oſtendunt: & Hieremias

cathenam

cathenam geſtans in collo, portendit captiuitatem Iudæorum. Sunt actiones & perſonæ: ut Aharon, Dauid, Solomon, Chriſtum figurarunt: & Antiochus impius tyrannus, Antichriſtum. Sunt uiſa & ſpectra, quæ uigilantes, aut quieſcentes, uiderunt homines diuini. cuiuſmodi plurima ſunt in Apocalypſi, in Zacharia, in Ezechiele, in Daniele, & in quarto Eſdræ libro. Vnde eſt theologorum neotericorum diſtinctio uiſionis & reuelationis. Reuelationes enim per ſomnia dicuntur, quando in ſomnis cernunt homines *Viſorum diſcrimen.* figuras quaſpiam, aut uoces audiũt: Viſiones autem, quando uigilantes cernunt audiuntq́ ſignificationes rerum futurarum. Vnde etiã prophetæ frequentius Ebræis uocantur ראים roim, & חוזים hhozim, hoc eſt, uidẽtes, & contẽplantes. Et Clemẽs definit prophetiã δύναμιν προορατικὴν, uirtutem præuidendi. *Quid diuinatio.* Caſsiodorus autem, quòd ſit inſpiratio diuina, rerum euentus immobili ueritate denunciãs. Cuius tria genera ipſe Deus oſtendit, reprehendens Aharonem *Prophetiæ generà.* & Mariam, quia obtrectauerant fratri ſuo Moſi. Sic enim legimus cap. 12. libri Numerorum: Si quis fuerit inter uos propheta Domini, uel uiſione apparebo ei, uel per ſomniũ loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſsimus eſt. Ore enim ad os loquar ei palàm: & non per ænigmata & figuras Dominum uidet.

Ioel autem, uiſiones atq́ reuelationes docet eſſe opera & effectus Dei, per ſanctum ſpiritum: Effundam, inquit, ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & ſenes ueſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes ueſtri uiſiones uidebunt. Vtq́ miniſterio plerunq́ angelorum Deus utatur, ediſſerit Dionyſius in Hierarchia cœleſti. Hoc quidem uaticinium Eſdræ *Ex quo genere hoc uaticinium.* partim eſt reuelatio, nam aquilæ figuram in ſomnis uidit: partim uiſio, quia expergefactus audiuit angelum Vrielem interpretantem hanc imaginem. Quare de ſomnijs etiam ut dicatur, neceſſum eſt: præſertim quum Hieronymus uideatur eleuare hoc diuinum præſagium, uocans apocryphorum ſomnia.

Somniorum ſpecies. Omnium quæ uidere ſibi dormientes uidentur, quinque ſunt principales diuerſitates, & nomina, Macrobio authore, libro priori, cap. 3. in ſomniũ Scipionis. Aut enim eſt ὄνειρος ſecundum Græcos, quod Latini ſomnium uocant: quod tegit figuris, & uelat ambagibus, non niſi interpretatione intelligendam ſignificationem rei quę demonſtratur. Aut eſt ὅραμα, quod uiſio rectè appellatur: cum id quis uidet, quod eodem modo, quo apparuerat, eueniet. Aut χρηματισμός, quod oraculum nuncupatur: cum in ſomnis parens, uel alia ſancta grauisque perſona, ſeu ſacerdos, uel etiam Deus, apertè euẽturum quid, aut non euenturum, faciendũ, uitandum'ue denunciat. Aut eſt ἐνύπνιον, quod inſomnium dicitur: quoties cura oppreſsi animi uel corporis, ſiue fortunæ, qualis uigilantem fatigauerit, talem ſe ingerit dormienti. Aut eſt φάντασμα, quod Cicero, quoties opus hoc nomine fuit, uiſum uocauit. Eſt autẽ uiſum, quum inter uigiliam & adultam quietem, in quadam (ut aiunt) prima ſomnij nebula adhuc uigilare ſe exiſtimans, qui dormire uix cœpit, aſpicere uidetur irruẽtes in ſe, uel paſsim uagantes formas, à natura, ſeu magnitudine, ſeu ſpecie diſcrepantes, uariasque tempeſtates rerũ uel lætas, uel turbulẽtas. in hoc genere ἐφιάλτης eſt, quem publica perſuaſio quieſcẽtes opinatur inuadere, & pondere ſuo preſſos ac ſentiẽtes grauare. His duobus modis ultimis ad nullam noſcẽdi futuri opem receptis, tribus cæteris in ingenium diuinationis inſtruimur. Et quia phantaſma & inſomniũ nihil diuinationis apportant, cura interpretationis indigna ſunt. *Alia ſomniorum diuiſio.* Porrò ſomnij quinque ſunt ſpecies: propriũ, cum ſe quis faciẽtem patientem'ue aliquid ſomniat: alienum, cum alium: commune, cum ſe unà cũ alio: publicum, cum ciuitati, foro, theatro, mœnibus, aut actibus publicis triſte uel lætũ quid exiſtimat accidiſſe: generale, cũ quis circa ſolis orbem, lunarem'ue globum, ſeu alia ſidera, uel cœlũ, omnesque terras aliquid ſomniat innouatum. Eſt autem hoc Eſdræ uaticiniũ, & oraculum, & uiſio, & ſomniũ generale atque publicum. Proinde non omnia ſomnia pro-

miſcuè

miſcuè uel recipiēda ſunt, uel reſpuenda: ſed cum delectu in his uerſandū eſt, ſicut in miraculis, & doctrinis. Nam quędā naturalibus ex cauſis oriuntur, ex conſtitutione atq; temperamento corporū humanorum, quæ medicina cōſiderat in Prognoſticis de proſpera uel afflicta ualetudine: uel ex alimenti ratione, ut fabæ comeſte turbulentiora ſomnia pariunt: uel ex cogitationibus & actionibus diurnis, de quibus dixit Poëta,

Omnia quæ ſenſu uoluuntur uota diurno,

Tempore nocturno reddit amica quies. Quædā mali ſpiritus im̄ mittunt ad fallendos, aut cruciandos homines, aut territandos. Vnde infelix Dido ad ſororem ait, ut in Virgilij Aeneide ſcribitur:

Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent? Et in ſexto libro:

Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes. Vocat autem Poëta cœlum, regionem uiuorum hominum. Quędā confingunt etiā homines, uel ut honeſta & utilia perſuadeāt alijs (quale eſt Scipionis ſomniū à Cicerone confictum in libris de Republica, ut perſuaderet animas hominū uiuere poſt mortem corporis, & ſempiternā beatitudinem bonis uiris, qui rempublicam adiuuant, paratam eſſe) uel ut ſua commoda cum aliorū detrimēto cōparent. Vnde pſeudoprophetarū genus eſt, quod ſomniatorū nomen habet: quos grauiſsimè obiurgat Hieremias cap. 23. De his dicit & Solomon: Vanitas multa eſt, ubi multa ſomnia. Et Eccleſiaſticus cap. 34. Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderūt ſperantes in illis. Inter maleficos etiā numerat lex Moſaica eos, qui ſomnia obſeruant. Rurſum oracularia ſomnia Deus immittit: de quibus loquitur uir ſapiētiæ ueræ & theologiæ conſultiſsimus Elihu, in libro Iob cap. 33. Oſtēdit autē, ut Deus ſoleat homines reuocare à peccatis, & malis quibus hominū delicta caſtigātur: Semel, inquit, loquit̄ Deus, & ſecūdo idipſum nō repetit. Per ſomniū, in uiſione nocturna, quādo irruit ſopor ſuper homines, & dormiūt in lectulo, tūc aperit aures uirorū, et erudiēs eos inſtruit diſciplina, ut auertat hominē ab his

Vſus maximus ſomniorum diuinorum.

quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia, eruens animam eius à corruptione, & uitam illius ut non tranſeat in gladium. Plato quoq; dicit eſſe dialectum Dei cum mortalibus, per ſomnia & oracula. Et Homerus ſomnia uocat nũcios Iouis.

Atq; haud ſcio, an quiſquam hominum ſit, quẽ non Deus aliquando per ſomnium admonuerit, docuerit, corripuerit, conſolatus ſit, aut aliud id genus beneficij contulerit. Certè hiſtoria ſacra & prophana, exemplis abundat ſomniorũ, quæ hominibus res maximas portenderũt. Abraham enim,
Geneſ. 15. pater credentium, obdormiens, ubi cum Deo fœdus pepigiſſet, in ſomnis didicit fata ſuæ poſteritatis. Eiuſq; ne-
Geneſ. 28. pos Iſrael, in Bethel uidit ſcalas pertingentes à terra cœlum uſq;, & in eo ſomnio perſpicit Meſsiæ myſteria. Filij quoq; ipſius edocti fuerunt de Chriſto, de reprobatione Iudæorum, & alijs rebus maximis per ſomnia, ut in teſtamẽtis patriarcharum xij legimus. Sed & Ioſeph ſponſus Mariæ uirginis matris Chriſti, ab angelo in ſomnis admonetur, ut infantem Ieſum gladio Herodis ſubducat, fugiens in Aegyptum cũ puero & matre: indeq; rurſum ſomnio reuocatur
Math. 27. diuino. Et Pilatus ſomnio immiſſo uxori ſuæ, reuocatur, ne quid iniquum ſtatuat de Ieſu Chriſto, quem apud eius tribunal reum Iudæi egerant. Quod niſi contempſiſſet, nunquam ſe commaculaſſet eo piaculo, propter quod ſeſe
Geneſ. 41. poſtea iugulauit. Pharao rex Aegypti uidit boues & ſpicas in ſomnis, quæ portendebant annos uberes atq; ſteriles. Quod ſomnium interpretatus eſt Ioſephus, ſimulq; docuit, ut ſuperuenturæ inopiæ ſuccurrere poſsit ac debeat. Eoq; ſomnio Aegyptus ſeruata eſt: & ex illo ueluti horreo copioſo gentium aliarum, tum alij uicini populi ſuſtẽtati ſunt, tum Iacob cum ſua familia, id eſt, ſanctiſsima tunc temporis
Iuſtinus autor. eccleſia. Aſtyages per ſomnium uaticinum didicit, nepotem ſuum Cyrum ex filia Mandane potiturum imperio to-
Dan. 2. 4. tius orbis. Nabuchodonoſor autem & ſua fata, & ſeriem potentiſsimarum in mundo uniuerſo monarchiarum didicit, interprete Daniele. Idem uerò Daniel, & frater ipſius

Eſdras,

Eſdras, fata Romanæ monarchię, in qua Meſsias erat naſciturus, & ex ea proditurus Antichriſtus, & in quã finis mũdi eſt deuolutus, ſomnijs uaticinis cognouerunt, & ex diuinæ bonitatis atq; ſapientiæ conſilio monumẽtis literarum prodiderunt. Quæ iam cognoſcere tempus & locus eſt.

IMAGO ROMANAE MONARCHIAE *tripartitæ ſummatim explanata.*

IMperium ſiue regnum & monarchiam ultimam Romanorum, non imagine una Deus prophetis ſuis ſanctis oſtendit, itemq; alijs hominibus. Nabuchodonoſori enim, regi Babylonico, monſtrata eſt per tibias & pedes ſtatuæ portentoſæ: Danieli autem, per monſtroſiſsimam belluam, gerẽtem cornua decem: inter quæ, undecimum corniculum enaſcitur, Antichriſtũ repræſentãs. Eandẽ quoq; per aquilam Eſdrę oblatam eſſe, teſtatur angelus Vriel, uiſum ediſſerẽs: in qua etiã aquila uel per mediũ caput, uel potius dextrũ caput, Antichriſtum figurari neceſſum eſt. Ioannes autem in Apocalypſi, uidit eam figura beſtiæ aſcendẽtis ex abyſſo, ſeptem habentis capita, & decem cornua. Et Antichriſtum cernit ſub imagine alterius beſtiæ bicornis, & rurſum meretricis purpuratæ, poculum aureum propinantis regibus & populis, ut ceu philtro & amatorio ueneno inficiantur. Babylonem quoq; uocauit Sibylla uetuſtiſsima, quemadmodum & Apocalypſis diuina. Porrò Zacharias producit Antichriſtum, ornatu paſtoris ſtulti & peruerſi. Et Dominus in Apocalypſi uocat pſeudoprophetam, & Sybilla regem pontificem Romæ. Daniel quoq; regem appellat: & Dominus regem locuſtarum, angelumq; abyſsi uocat, & perniciem: ut Paulus hominẽ peccati, filiumq; perditionis. Deniq; Sibylla nominat eũ Belias, uel Beliar: quod nomen בליעל Belial, & ipſum cacodæmonem, & hominẽ extremæ impietatis atq; conſcelerationis ſignificat: ut Nahum tyrannos Aſſyrios, & in primis Senacherib appellat. Cæterùm, quia per aquilam copioſius explicatur, quod Danieli oſten-

ſum eſt per monſtroſam belluam abſq; nomine, operæpreciũ iudicaui, enarrationem eius uaticinij ex diui Hieronymi Cõmentarijs propheticis huc ſummatim trãſcribere: quam interpretationem ipſe quoq; Hieronymus ſe mutuatum à ueteribus eccleſiæ doctoribus omnibus confitetur: ut momenti maximi negotium ſententiæ patrum eccleſiaſticorum, adeo'que ipſius eccleſiæ ueteris innitatur, & non meis opinionibus.

Caput ſeptimum Danielis de Rom. monarchia.

Sic ergo Hieronymus caput Danielis ſeptimum enarrat: Quatuor uẽtos cœli, quatuor arbitror angelicas poteſtates, quibus principalia regna commiſſa ſunt, iuxta illud quod in Deuteronomio legimus: Quãdo diuidebat altiſsimus gentes, conſtituit terminos earũ iuxta numerũ angelorum Dei: & reliqua, Deut. 32. Mare autem, mundũ iſtum, ſeculumq; ſignificat, ſalſis amarisq; fluctibus redundãs: ſicut Dominus in parabola ſagenę miſſę in mare interpretatur. Et hoc notandum, quod regnorũ feritas atq; crudelitas beſtiarũ nomine demonſtretur.

Monarchia 1.

Primum regnum Babylonicũ propter ſæuitiam & crudelitatẽ, ſiue propter luxuriã & uitam libidini ſeruientẽ, non leo, ſed leæna appellatur. Quòd autẽ habet alas aquilę, ſuperbiã ſignificat, regni potẽtiſsimi. Sed & hoc dicẽdum, aquilã multo uiuere tẽpore, & regnũ Aſſyriorum multis ætatibus fuiſſe dominatum. Alæ cætera ſignificant regna: quibus prius imperabat, & uolitabat in mundo. Quodq; ſequitur: Stetit ſuper pedes, ſi generaliter de regno Chaldęorũ intelligatur, hoc ſentiendũ eſt, quod interfecto Balthaſar, & Medis Perſisq; imperio ſuccedentibus, Babylonij homines, & humilis fragilisq; naturæ ſe eſſe intellexerint.

Monarchia 2. 3. 4.

Secunda beſtia, rigidum Perſarũ fuit regnum. Tertium regnum, Macedonũ. Quartum, quod nunc orbem tenet terrarum, imperiũ Romanorũ eſt: de quo in ſtatua dicitur, Tibiæ eius ferreæ: & cætera, cap. 2. Satisq; miror, quòd cum ſuprà leænã, & urſum, & pardum in tribus regnis poſuerit, Romanorũ regnum nulli beſtiæ cõpararit. Niſi fortè, ut formidoloſam faceret beſtiam, uocabulum tacuit: ut quicquid

ferocius

ferocius cogitauerimus in beſtijs, hoc Romanos intelligamus. Et hoc quod hic tacitũ eſt, Ebręi in Pſalmo lxxix dictũ putãt: Deuaſtauit eã aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eã. pro quo in Ebræo habet, Omnes beſtię agri lacerauerunt eã: dum in uno Romanorũ imperio omnia ſimul regna cognoſcimus, quæ prius fuerant ſeparata. Comedens.) Significat omnes nationes uel interfectas ab eis, uel tributo & ſeruituti ſubactas. Diſsimilis.) In prioribus beſtijs ſingula formidinũ ſigna, in hac omnia ſunt. Cornua.) Dicamus, quod omnes ſcriptores eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi, quando regnũ deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidant: & undecimum ſurrecturum eſſe regem paruulũ, qui tres reges de x regibus ſuperaturus ſit: id eſt, Aegyptiorum regẽ, & Aphricæ, & Aethiopiæ. Quibus interfectis, etiam ſeptem alij reges uictori colla ſubmittent.

Oculi.) Ne eum ſcilicet Antichriſtũ putemus, iuxta quorundam opinionem, uel diabolum eſſe, uel dæmonem: ſed unum de hominibus, in quo ſatanas habitaturus ſit corporaliter. Os.) Eſt enim homo peccati, filius perditionis: ita ut in tẽplo Dei ſedere audeat, faciẽs ſe quaſi Deũ. Donec throni.) Dei iudiciũ uenit propter humiliandã ſuperbiam. Idcirco Romanũ delebit imperiũ, quia cornu illud loquebatur grandia. Beſtiam interf.) In uno Romano imperio, propter Antichriſtũ blaſphemantẽ, omnia ſimul regna delenda ſunt. Et nequaq̃ terrenũ imperiũ erit, ſed ſanctorum conuerſatio, & aduentus filij Dei triũphantis. Sermones.) Sermones quaſi Deus loquetur: ut qui Dei aſſumit potentiam, uerba quoq; diuinæ ſibi uendicet maieſtatis. Sanct.) Præliabitur Antichriſtus contra ſanctos, & ſuperabit eos: in tantamq; erigetur ſuperbiam, ut leges Dei, & ceremonias mutare conetur, et eleuetur ſupra omne quod dicitur Deus, religionem cunctam ſuæ ſubijciens poteſtati. Tempus.) Annum ſignificat: tẽpora, duos annos præfigurãt: dimidiũ tẽporis, ſex menſes, quibus ſancti poteſtati Antichriſti per-

mittendi

mittendi ſunt. Iudicium.) Hoc de Antichriſto, id eſt, de cornu paruulo, quod grãdia loquebatur, quia regnum eius deſtruẽdum ſit in perpetuum. Regnum.) Hoc loquitur de Chriſti imperio, quod ſempiternum eſt. Hæc Hieronymus. Iam Eſdræ imaginem ſtrictim explicabo, ſi Chriſtus annuat.



AQVILAE, QVAM VIDIT ESDRAS, *compendioſa explicatio.*

AQuilam etenim uidit propheta tricipitem, & in alis habentem inſigniores pennas x11, & octo pennas ſubalares iſtis contrarias. Leo autem inuadit aquilam, & ſeuerißime carpit. Ex auibus ijs, quas nouimus, aquilæ maximus honos, maxima & uis: eamq́ Iouis armigerum eſſe, iudicauit conſuetudo: ait Plinius libro x Naturalis hiſtoriæ. Vulgus etiam aquilam exiſtimat regem auium.

Id uerò

Id uerò ſingulare habet aquilæ natura, quòd decimo quoq; anno iuueneſcit. De quo Ebræorum uel præcipui doctores Dauid Kimhi, & rabi Saadias, dictum Pſalmi CII exponentes, Renouabitur ut áquilæ iuuentus tua. Sic enim ſcribunt: Aquila uolat altius cæteris auibus, & pertingit uſque ad firmamentum cœli, accedens ad calorem ignis elementaris: ſeq; præcipitat in mare ob nimium calorem, & plumas atq; pennas amittit, ſeq; renouat, ac ſubleuat alas, reditq; ad iuuentam ſuam. Idq; agit decimo quoq; anno. Centeſimo autem anno idem pro more ſuo faciens, decidit in mare, ac emoritur. Auguſtinus autem ſcribit hunc ad modum: Dicitur aquila, cum ſenectute corporis preſſa fuerit, immoderatione roſtri creſcentis cibum capere non poſſe. Pars enim roſtri eius ſuperior, quæ ſupra partē inferiorem aduncatur, cum præ ſenecta immoderatius creuerit, longitudo eius incrementi non eam ſinit os aperire, ut ſit aliquod receptaculi interuallum inter inferiorem partē, & uncum ſuperiorem. Niſi enim aliquod interuallum pateat, non habet morſus quaſi forcipē, unde uelut tondeat, quod trāſmittat in fauces. Creſcente itaq; ſuperiori parte, & nimis aduncata, non poterit os aperire, & aliquid capere. Hoc ei facit uetuſtas. Prægrauatur languore ſenectutis, & inopia comedendi langueſcit nimis, utraq; re, ætate & egeſtate accedente. Itaq; modo quodam naturali in menſura reparandæ quaſi iuuentutis, aquila dicitur collidere & percutere ad petram, ipſum quaſi labium ſuum ſuperius: quo nimis creſcente, edendi aditus clauditur, atq; ita conterendo illud ad petram excutit, & caret prioris roſtri onere, quo cibus impediebatur. Accedit ad cibum, & omnia reparantur: erit poſt ſenectutem tanquam iuuenis aquila. Redit uigor omniū membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum. Volat excelſa ſicut ante: fit in ea quædam reſurrectio. Non quidem ad immortalitatem aquila reparatur, nos autem ad uitam æternam. Sed tamen propterea inde ducta eſt ſimilitudo, ut quod nos impedit, petra nobis auferat. Non ergo præſumas de uiribus

 tuis:

tuis: firmitas petræ tibi excutit uetuſtatem. Petra autem erat Chriſtus. In Chriſto renouabitur ſicut aquilæ iuuentus noſtra. Etenim inueterauimus inter inimicos noſtros. Non ſatiabor de mortalibus, nō ſatiabor de temporalibus. Aliquid æternum donet, aliquid æternum concedat. Sapientiam ſuā mihi det, uerbum ſuū mihi det, Deū apud Deum, & ſe Deū, patrem & filium & ſpiritum ſanctum. Non ſatiaris modò: quia nō eſt idonea anima tua ad ſolidum illum & magnum cibum, ſed roſtro clauſo non eſt idonea. Vetuſtas ſibi clauſit os: propterea petra data eſt, ubi uetuſtate cōtrita renouetur iuuentus tua, ſicut aquilæ: ut poſsis mādūcare panem illum tuum, qui ait: Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi: Renouabitur iuuentus tua ſicut aquilæ, tu ſatiaberis in bonis. Porrò quod Ebræi dicunt, aquilam ad ignis ſphæram propius aduolare, ut pennæ plumæq́ adurentur, fiatq́ glaber: alij referūt ad ſolem, cuius radios etiam acie recta intuetur. Hieronymus etiam pro mari fontem ponit. Aquilæ, inquit, ubi conſenuerit, grauantur pennæ: quærit illa fontem, erigitq́ pennas, & calorem in ſe colligit: eò modo ſanantur oculi. In fontem ſe ter mergit, atq; ad iuuentutem redit. Quę Chriſti gratię & uirtuti, per quam genus hominum renouatur, propius quadrant. Tam plena myſterijs eſt aquila, ut Chriſti res, & reſurrectionem corporum, & totius hominis renouationem adumbret.

Aquilæ ſignificationes. Sunt' que in libris ſacris multæ locutiones figuratæ, petitæ ab aquila: ut Dominus etiam Deus dicat, ſe populum Iſrael ex Aegypto, ceu aquila pullos geſtat, eduxiſſe. Et Dominus Chriſtus de ſuis electis, æternùm cum illo uicturis, ait: Vbi cadauer eſt, ibi congregantur & aquilæ. Et myſterijs inſeruit aquila, quanquam inter immundas aues numerata, magis quàm ullum animans. Et Dionyſio quidem theologo interprete, ſignificat regiam dignitatem, motum ad ſuperna tendentem, ad capiendum cibum neceſſarium, uim' que ſpeculandi, & ſimilia. Vnde Apocalypſeos capite octauo, Aquila uolans per medium cœli, triſte nun-

ſte nuncium adfert habitantibus in terra nouiſsimis tempo-ribus, ter exclamans inauſpicatum & mali ominis uerbum, Væ, uæ, uæ. In quadriga uerò myſtica Ezechielis, Seraphim habent formam quoque aquilarum. Et Iſraelitarum unum ſignum militare ex quatuor, habuiſſe imaginem aquilæ, tradidere magiſtri Ebræorum. Peculiariter tamen aquila notat magna & excellentia imperia, & reges: uelut Ezechielis capite decimoſeptimo, aquilæ duæ grandes figurant regem Babylonicum, & Aegyptium. Et Danielis ſeptimo capite, leæna Babylonicam referens monarchiam, alas habet aquilæ. Et in quadriga illa myſtica Ezechielis prophetæ, uel potius curru triumphali diuinæ maieſtatis, capite primo, figurari monarchiam Dei cuncta gubernantis, omnes interpretes Chriſtiani & Ebræi, intellexerunt. Peculiariter autem Romanis dicata fuit aquila. Nam inter militaria ſigna principem locum tenuit aquila. De quo Plinius, libri decimi capite quarto: Romanis legionibus aquilam C. Marius in ſecundo conſulatu ſuo propriè dicauit. Erat & antea prima cum quatuor alijs: lupi, minotauri, equi, apriq; ſingulos ordines anteibant. Paucis antè annis ſola in aciem portari cœpta erat: reliqua in caſtris relinquebantur. Hinc Sibylla Erythrea legiones Romanas uocat ἀετοφόρους, hoc eſt, aquiligeras. Neque tamen pingebatur in panno aquilæ figura, ut nunc fit: ſed in longis perticis aureæ & argenteæ imagines aquilarum præferebantur. Quemadmodum & Perſæ grandem aquilam ex auro in longa pertica geſtarunt ante exercitum. Et Iouem pugnantem contra Titanos, aquilam pro ſigno habuiſſe, memoriæ proditum eſt, eum que morem Aeneam in Italiam intuliſſe. Fuit & in pace Romanis aquilæ ſignum præcipuæ uenerationis, & ſacrum ſanctum: nam & Tarquinius Priſcus rex in ſceptro aquilæ figuram ſculptam habuit. Ethruſcæ quoque diſciplinæ periti, & ſecretioris theologiæ, quos Ebræi uocant Cabaliſtas, Romæ genios & angelos præſides aſſeruere נשריאל neſriel,

 quod

quod ſoſiat aquilam deum: & אריאל ariel, quod ſignificat leonem deum. Quemadmodum Gabriel & Michael, præſides Iſraelitarum indicantur, Danielis 10. cap. Itaq; ex altiſsima theologia myſteriũ hoc productum eſt, quòd aquila Romanæ monarchiæ fata portẽdit atq; denunciat. Hodieq; uulgò notiſsimum eſt, aquilam in numis & publicis operibus ſymbolum & inſigne eſſe imperij Romani.

Aquilæ huius forma.

Quare imaginemur aquilam tricipitem, quæ in pedes erecta ſtet, alis utrinque expanſis, ritu uolantium auium: ut omnes uenti eam perflent, ac ſpectantem ſolis ortum. Qua ratione ala & caput in meridiem reſpicientia, latus dextrum obtinent: & quæ ſeptentrionem reſpiciunt, ſiniſtrum. Nam diuerſi populi, & diuerſę profeſsiones in augurijs, & prodigijs, & alijs id genus obſeruationibus, non eodem pacto conſtituunt cœli cardines, atq; poſitionis limites antè ponè, dextrum, ſiniſtrum, ſurſum deorſum. ut Cicero etiam docet in libris de Diuinatione, & Plutarch. in 2. lib. de Placitis philoſophorum. Alijs enim ſeptẽtrionalis plaga uidetur mũdi uertex & ſuprema pars, alijs dextra. Ebraicis autem ſcriptoribus eſt ſiniſtra, & antica mundi pars, ortus ſolis: poſtica uerò, in ſolis occidentis plaga.

Nomina alarum Ebraica.

Cæterùm in pennis & alis translatio Latina obſcuritatẽ habet: quę non tam Eſdræ debet imputari, aut rebus ipſis, quàm interpreti Latino, qui proprietatem uerborũ non aduertens, res quoq; permiſcuit & confudit. Quam difficultatem prius tollere ſtudebo, conſtitutis proprijs uocabulis, quàm ſignificationem indico.

Ezechiel quidẽ cap. 17. aquilas duas grãdes depingẽs, hæc tria uerba uſurpat: אבר ebær, quod ſignificat alã uel axillã, nempe in auibus membrum, cõſtans oſsibus, neruis, muſculis, carne, uenis cum ſanguine, quibus ſunt pennæ infixæ. Id Latinus uetus interpres dicit alam, & alam pennarum, & pennaculum. כנף canaph, eſt penna grãdior & robuſtior, qua mouet̃ corpus alitis, ein ſchwingfeder. נוצה nozzah, mollior eſt pẽna, ſeu pluma, quę corpus auiũ ueſtit. Quibus adijcere placet אגף agaph, & prima litera reſecta גף gaph, quod

quod uerbum ſignificat alam cum pēnis & plumis, ac uelut gubernaculum auis: per tropum autem, in exercitu alas tam peditum quàm equitum, & alia quædā ſignificat, **ein flügel oder fetich.** Subalares pennas & contrarias illis duodecim, nō aliter poſſum animo complecti, quàm ut intelligam in duabus alis maioribus enata eſſe tubercula, & ueluti radices pennarum ſurgētium in oppoſitam partem: ut quandoque ſolent in membris animalium adnaſci oſſa & carnes ſuperfluæ. Etſi uerò in aquilæ tum alis, tum cauda, & toto corpore ſunt plures pennæ ac plumæ: tamen in hac imagine prophetica, duntaxat xij pennarum inſignium ratio habenda eſt, & octo ſubalarium pennarū. Et hactenus quidē corticem literę aperire molitus ſum: iam medullam quoq; ſpiritualem proferamus. Quartā monarchiam per aquilam repreſentari, nō licet nobis dubitare: quum Leo dicat, quartū eſſe regnū: & Vriel dicat illud ipſum eſſe, quod Daniel uidit. Quarta uerò monarchia & ultima eſt Romana: ut Hieronymus, cæteriq; patres eccleſiaſtici & Ebræi intellexerunt.

Alas etiam exponit, reges xij. qui non ſunt numerandi ab urbis origine, Romulus & Remus, Numa Pompilius, & reliqui: ſed ab eo tempore, quo deuictis populis in Europa, & Africa & Aſia, qui prius ſub Alexandri & Macedonum fuerant imperio, Iulius Cæſar iterum monarchiam Romæ & perpetuam dictaturam conſtituit. Primus ergo rex, intelligitur Iulius Cæſar. Secundus, Octauius Auguſtus, quo nullus regnauit diutius & felicius: ut inter exempla feliciſsimorum ponatur hominū. quanquam & is ærumnis maximis obrutus fuit, ut Plinius eas recenſet. Sub hoc Imperatore Chriſtus Ieſus natus eſt. Tertius, Tiberius Cæſar: à quo præſes Syriæ datus Pontius Pilatus, Ieſum Chriſtum in crucem adegit. Quartus, C. Caligula, portentoſæ nequitiei homo. Quintus, Claudius Cæſar: quo imperante, conciliū Apoſtolicum abrogauit cærimonias Moſaicas. Sextus, Claudius Domitius Nero: qui Paulum & Petrū apoſtolos interfici iuſsit. Et hi quidem pennis ſex in ala dextra collocatis

Alarum pēnæ xij.

catis figurati ſunt: rurſumq; totidem in ala ſiniſtra. Septimus, Sergius Galba. Octauus, Otho Syluius. Nonus, Aulus Vitellius. Qui tres occupãtes imperium per tumultum, octodecim circiter menſes regnarunt. Decimus, Flauius Veſpaſianus. Vndecimus, Titus Veſpaſianus, qui cæpit & deleuit Hieruſalem. Duodecimus, Flauius Domitianus: qui Ioannem euangeliſtam relegauit in Pathmon inſulam, ubi ſcripſit librum diuiniſsimum Apocalypſeos, compendium uel potius theſaurum theologiæ Chriſtianæ.

Plures autem reges ſiue Imperatores Rom. non enumerat: quoniam hi ſufficiunt ad præſentem demonſtrationem. Quemadmodũ à Daniele ex regibus Perſicis quatuor duntaxat numerantur: & in monarchia Græcorum quatuor cornua, totidem reges figurãtia ponũtur, quum plures mortuo Alexãdro ſibi arripuerint partes Macedonicę monarchiæ, præter Aegypti, Aſię, Syrię, & Macedoniæ reges: ut Quintus Curtius, & alij ſcriptores oſtendunt.

Octo pennæ ſubalares.

Octo pennæ ſubalares etiam notant reges, uel potius tyrannos & inuaſores Imperij: quanquam longè plures fuerunt, qui arripuerũt Imperium Romanũ: ſed hi nobiliſsimi, & authores, ut monarchia diuideretur, atq; in ruinã & exitium impelleretur. Quæ pennæ in tres partes abſumuntur, quãquam diſtinctæ ſex alis paruulis, ut quaternæ in ala ſiniſtra collocentur, binæ autem in dextra. Imperante autem Theodoſio, mouit ſe penna ſubalaris prima in Britannia, tyrannus Maximus: & mox 2, Eugenius cum Arbogaſte. Pòſt autem Imperatoris Theodoſij filijs imperãtibus, quatuor inſurrexerunt. 3. Gildo in Aphrica: 4. Ruffinus, orientalis aulæ & prætorio præfectus: 5. Caianus: 6. Stilico, aulæ occidentalis & Romæ præfectus prætorio. Duo autem ex his pepererunt. Ruffinus enim proditor euocauit Caucaſios populos in Aſiã, Turcas præcipuè, qui hodie quoq; negotium faceſſunt: & Stilico Gotthos atq; alios populos commouit, qui Romam cæperunt, & ſuſtulerunt imperium Occidẽtis: quod tandem per Francos Papa ex aliqua parte, uelut

te: uelut à mortuis excitauit. Poſtremò quum iam tria capita conſurgere deberent, ſurrexerunt pennæ duæ: 7. Saraceni: & 8. rex Perſarum: quas pennas caput medium, puta Mahumed, citò ſubegit ac deuorauit. Appoſui autem pennis numeros, ut imago & explanatio citra negotium conferri queant.

Nanque tria capita interpretatur angelus, tria regna, quę impleant menſuram impietatis Rom. monarchiæ, nondum diuiſæ. Ac medium quidem caput grandius, ita copioſe & luculenter pingit, ut nemo niſi cæcus non uideat ſignificari Mahumedicum & Turcicum imperium. Etenim Mahumed nouæ religionis & imperij conditor, non eſt gladio interfectus, ſed maximo cruciatu morbi extinctus. Eius autem ſucceſſor Ebubeker, ſocer Mahumedis, ab altero eiuſdem ſocero Homar occiſus eſt. Et Homar quoque interfectus gladio eſt, maximè Hali nepote Mahumedis procurante necem illius. Caput quoqꝫ ſiniſtrum nemo ignorat, uel mediocriter peritus hiſtoriarum, ſignificare Imperium, cuius regia ſedes fuit Cōſtantinopolis in Thracia. Itaque tertium caput dextrum, notat eum regem, aut Imperatorem, aut pontificem maximum, qui ſibi uendicat Romam & Italiam, & Imperium Romę in Occidente. Hoc ſi negent Papę, & Papiſtę, Romanum pręſulem Romani regis & Imperatoris ſibi ius atqꝫ poteſtatem arrogare, imprudentiſſimè negant ſua ipſorum ſcripta, quæ regibus & Imperatoribus, & toti populo Chriſtiano, Iudęis quoque & Mahumedicis & toto mundo auſi ſunt oſtentare; maximo cum dedecore nominis Chriſtiani, & detrimento maiori quàm multi exſtiment. Sic etenim Conſtantinus ille in diplomate ſuæ Donationis, quod θέσπισμα & oraculum haberi uolunt, loquitur: Beato Syluestro & omnibus ſucceſſoribus eius de pręſenti tradidimus palatium Imperij noſtri Lateranēſe, deinde diadema, uidelicet coronam capitis noſtri, ſimul'que Phrygium, nec non ſuperhumerale, uidelicet lorum, quod Imperiale circundare aſſolet collum: uerùm etiam

Papæ Romano in fictitia Donatione Conſtantini arrogatur Imperatoris Rom. poteſtas.

etiam chlamidem purpuream, atq; tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumenta, ſeu etiam dignitatem præſidentium equitum. Conferentes ei etiam Imperialia ſceptra, ſimulq; cuncta ſigna atq; banna, & diuerſa ornamenta Imperialia, & omnem proceſsionē Imperialis culminis, & gloriam poteſtatis noſtræ. Ac poſtea: Vnde ut Pontificalis apex non uileſcat, ſed magis quàm terreni Imperij dignitas gloria & potētia decoretur, ecce tam Palatium noſtrũ, quàm Romanam urbem, & omnes Italiæ ſiue occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, beatiſsimo Pontifici & uniuerſali Papę Syluestro concedimus atq; relinquimus, & ab eo & à ſucceſſoribus eius per pragmaticam conſtitutionem decreuimus diſponenda, atq; iuri ſanctæ Romanæ eccleſiæ concedimus permanenda. Vnde congruum perſpeximus, noſtrum Imperium, & regni poteſtatem oriētalibus transferre regionibus, & in Byzantiæ prouinciæ optimo loco nomini noſtro ciuitatem ædificari, & noſtrum illic Imperium conſtitui. Quoniam ubi principatus ſacerdotum & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cœleſti conſtitutum eſt, iuſtum nō eſt, ut illic Imperator terrenus habeat poteſtatem. Et hæc uidelicet Papa Romanus dono accepit à Conſtātino maximo. Quod ſi Romanus rex & Imperator non eſt, qui ſibi arrogat inſignia, titulos, palatiũ, urbem, prouincias, ius & poteſtatē Imperatoris Romani: quis obſecro fuit unquam? Quid quod iuris Papiſtici doctores aiunt, Papā Dominũ eſſe uniuerſi mũdi, omniumq; feudorum: principes autē cũctos, beneficiarios & uaſallos ipſius? utq; potius utar eorum uerbis, omnia beneficia mundi eſſe obediētialia & manualia reſpectu Papalis poteſtatis? Quis etiam ignorat, iſtam monarchiæ ſupremæ iactationem: Vt Ieſu Chriſto ſunt omnia tradita, ita Romanum Papam hæredem & ſucceſſorem & uicarium, non modò Petri apoſtoli, uerum etiam Chriſti, poſsidere omnia? Proinde Imperatorem uel Germanorum, uel Romanum, dicunt omne ius atque poteſtatem mutuò accipere à Papa Romano, ut

luna

luna ſplendorem ſuum mutuatur à ſole. Quis ignorat Papas ſibi arripuiſſe Imperatoris electionem, confirmationem, coronationem, depoſitionē, citra Concilij generalis ſententiam? & quomodo fulmina excommunicationum torſerint aliquando etiam in optimos principes, Cæſares Germanorum, reges Gallorum, & alios? Et quis tandem non agnoſcat, non admiretur, non adoret ſapientiam & bonitatem & prouidentiam numinis æterni in hoc uaticinio? Capita tria ſimul dicunt̄ ſurgere in aquila, & ſimul redarguunt̄ impietatis: quæ nihilo ſanctiora ſint, quàm priores reges, Iulius, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Domitianus, Heliogabalus, & alij. Etenim Phocas interfecto Mauricio imperatore, à ſceleratis militibus Imperator eſt creatus, anno DCIIII poſt Chriſtum natum, DCLXVI autem poſt natum Octauium Auguſtum & Conſulatum Ciceronis, quando Pompeius ſceptrū Iudæis eripuit. Eodem anno mortuus eſt Gregorius Magnus, uerus epiſcopus Romę, uerbo & animo & actionibus ſeruus ſeruorū Chriſti: qui ſcripſit inſtare iſtum ſuperbiæ regem, hoc eſt, Antichriſtum, illicq; præparari exercitum ſacerdotum, ut humeris ſuperbiæ inſeruiant: quando unus Epiſcopus appetat haberi œcumenicus & uniuerſalis epiſcopus omnium cæterorum epiſcoporū. quod Conſtantinopolitanus Ioannes affectauit, multo autem inſolentius uſurpauit Romanus Papa, ſimulcq; poteſtatem ſummam Imperij politici. De Phoca ſanè Paulus Diaconus ſcripſit: Malus & dominus ſceptorum tyrannus prouehitur, & præualet aduerſus felicitatem calamitas, & ſumunt principium magna infortunia Romanorum. Nam ex eo tempore non defuerunt Imperio uariæ ac ingentes ærumnæ. Admonuerat eum adhuc uiuus Gregorius, gratulando illi imperium per epiſtolā: ut libertate ſingulis ſub iugo imperij reſeruata, memor eſſet, illud inter reges gentium & Chriſtianæ reipublicę diſtare, quòd reges gentium domini ſeruorum ſint, imperatores uerò reipublicæ domini liberorum. Et ille quidem Cyriaco patriarchæ & principibus in templo ſanctè promiſit,

Conſtantinopolitani principes.

ſe in orthodoxa fide & ſine perturbatione ſeruaturum eccleſiam. Sed omniũ horũ oblitus, & ueluti ſtrychno potus, omni genere flagitiorũ imperiũ fœdiſsimè perdidit. A Phoca uſq; ad Conſtantinũ, quem Mahumed Turcarũ rex capta urbe iugulauit, Egnatius numerat imperatores Conſtantinopolitanos LXVI. quos tyrannos appellat Blondus. Pauculi certè inter bonos principes numerari poſſunt: ut Leo, quē tamen εἰκονόμαχον & theomachum uocant. Pleriq; autem inſigniter uitioſi & impij fuerũt: ut Anaſtaſius, Conſtantinus Copronymus, Alexius, & qui Phocam occidit Heraclius.

Mahumed, & ſucceſſores in imperio.

Altero itaq; anno imperatoris Phocæ, peccatis hominum ita merentibus, Mahumed Alcoranum publicè recitauit, & ui obtrudere conatus eſt: ſed tunc repulſus è Mecha in Iethrib, quod initium ponunt Aelhigra Mahumedici. Qualis autem Mahumed propheta fuerit, quibusq; uirtutibus aut uitijs præditus, Alcoranum ipſum legens intelligit, & hiſtorias audiēs, recitantes eius rapinas, ſtupra, adulteria, latrocinia. Et principe illo nouæ ſectæ nihilo fuere ſanctiores XI. proximi ſucceſſores, & poſtea Calyphę, nō modò reges, ſed etiam religiones & doctrinæ antiſtes, quidam etiam ſceleratiores Mahumede. Porrò Turcarum imperatores quales fuerint, Mahumed docere poteſt in expugnatione Conſtantinopoleos. In Solymanno tamē, qui hodie tenet imperium Turcicum, eas audio prædicari uirtutes, religionem, clementiam, iuſtitiam, fidem, moderationem, prudentiam: ut appareat, eum neq; ex Alcorani doctrina, neq; ſuperiorum principum exemplis ita formatum eſſe: ſed ex lectione librorum diuinorum, & cœleſti gratia, quæ naturæ iſtam bonitatem & ingenium indidit. In quo etiam mihi perſpicere uideor meſſem Chriſti multam inter Turcas: modò non deeſſent operarij boni, qui uerbo Dei & uitæ ſanctæ exemplo miſeros traducerent à Mahumede & Alcorano, ad Ieſum Chriſtum, & ipſius Euangelium ſalutiferum, & non ad Papam, & eius quodlibetũ Romanum. ne experiãtur Turcæ, quod in uulgari prouerbio dicitur: Incidit in Scyllam, cupiens ui-

tare

tare Charybdim. Vtq; Dominus loquitur ad Scribas & Phariſæos, circuire illos per mare & aridam, ut faciant unũ proſelytum: at qui proſelytus factus fuerit, duplo magis gehennæ filium, quàm antea fuerat, euadere.

Romani Papæ & reges.

Porrò anno quarto imperatoris Phocæ, Bonifacius tertius magna contentione obtinuit, ut eccleſia Romana eſſet caput omnium eccleſiarum, & Papa Rom. epiſcopus uniuerſalis omnium epiſcoporũ. Id uerò quale quantumq; ſit, operæprecium uidetur ex Donatione Conſtantini cognoſcere, uel potius ex arca noui Teſtamenti Papalis in lucem proferre, omnibusq; populis, in primis Chriſtianis oſtendere: ſi forte apposito perſpicillo, tandem iſtum eccleſiæ turbatorem & uaſtatorem poſsint aut uelint agnoſcere. Sic enim ampullas funditat, eijcitq; non palea uel pagina uel priuilegium, ſed edictum, oraculum, ordinatio, conceſsioq; maximi Conſtantini. Conſtantinus Imperator quarta die ſui baptiſmi, priuilegium Romanæ eccleſiæ pontifici contulit: ut in toto orbe Romano pontifices, uel ſacerdotes, ita hunc caput habeant, ſicut iudices regem. Hic eſt titulus, quem Auguſtinus Steuchus bibliothecarius & magiſter palatij Papalis præfixit. In eo Diplomate oraculari ſic loquitur Conſtantinus: [a] Prima die poſt perceptũ ſacri baptiſmatis myſteriũ, & poſt curationem corporis mei à lepræ ſqualore, agnoui non alium eſſe Deum, niſi patrem & filium & ſpiritum ſanctum, quem beatiſsimus Syluester prædicat, Trinitatem in unitate, unitatem in Trinitate. Nam omnes dij gentiũ, quos uſq; hactenus colui, dæmonia, opera hominum manufacta comprobãtur. Etenim quantam poteſtatem idem Saluator noſter ſuo apoſtolo beato Petro cõtulerit in cœlo ac in terra, lucidiſsimè nobis idem uenerabilis pater edixit, dum fidelem in ſua interrogatione inueniẽs ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiã meam: & portę inferorũ non præualebũt aduerſus eam. Aduertite potentes, & aure cordis intendite, quid bonus magiſter & dominus ſuo diſcipulo adiũxit, inquiens: Et tibi dabo claues regni cœlorũ, &

Pontificis Romani poteſtas ſumma, infinita, immenſa in eccleſiæ adminiſtratione, ſimulq; in politico imperio.

a. Ictus locuſtarũ & ſcorpionum, & ſycophãtici morſus in Conſtantinum Chriſtianiß. à puero. Et quis erit tutus ab illis ſycophantis?

Aduertite & uos Chriſtiani principes & populi, ex qua origine prodierit Rom. Papæ dominatus, cui nitatur fundamento: & decernite, utrum Chriſto, an tali domino ſeruire malitis.

quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis. Et dum hæc prædicante beato Sylueſtro agnoſcerem, ex beneficijs ipſius beati Petri integræ ſanitati me comperi redditum: dignum iudicauimus, unà cum omnibus ſatrapis noſtris, & uniuerſo ſenatu, optimatibus, & cuncto populo, imperio Rom. eccleſiæ (al. gloriæ) ſubiacente, ut ſicut beatus Petrus in terris uicarius filij Dei uidetur eſſe conſtitutus, ita & Pontifices ipſius principis Apoſtolorum in terris principatus poteſtatem amplius quàm terrenæ Imperialis noſtræ ſerenitatis manſuetudo habere † uidetur, conceſſam à nobis noſtroq; imperio obtineant: eligentes nobis ipſum principem Apoſtolorum, uel eius uicarios, firmos apud Deum eſſe patronos. (al. ſucceſſoresq; eius primos apud Deum eſſe patres.) Et ſicut noſtra terrena Imperialis potentia adoratur & colitur: ita eius ſanctam Romanam eccleſiam decreuimus ueneranter honorare, & amplius quàm noſtrum imperium, terrenumq; thronum, ſedem ſacratiſsimam beati Petri glorioſe exaltari: tribuentes ei poteſtatem, & gloriam, & dignitatem, atq; uigorem, & honorificentiam Imperialem: atque decernentes ſancimus, ut principatum teneat tam ſuper quatuor ſedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, Conſtantinopolitanã, quàm etiam ſuper omnes in uniuerſo orbe terrarum eccleſias Dei. Et Pontifex, qui per tempora ipſius ſanctæ Romanæ eccleſiæ extiterit, celſior & princeps cunctis ſacerdotibus, & totius mundi exiſtat. Et eius iudicio, quæ ad cultũ Dei uel fidem Chriſtianorum, uel ſtabilitatẽ procuranda fuerint, diſponantur. An non hæc, & quæ antea ex eodẽ Conſtantini diplomate recitaui, de regia & imperatoria Papæ Romani poteſtate, oſtendunt, caput dextrum deuoraſſe ſiniſtrum caput aquilæ, & Papam Romanum ſuſtuliſſe imperium, cuius regiam urbem & nouam Romam conſtituerat Conſtantinus Byzantij? Atque hæc de iure, ut loquũtur. Poſtea quo modo etiam de facto ſibi arrogarint Papæ imperium & ſupremam Eccleſiæ

† Videtur, inquit: nẽpe ſtolidis hominibus. Nam Petrus hoc minimè agnouit.

Iterũ affectantur bona terreſtria.

Quæ ſunt iam ſub Turcarum imperio. O domus antiqua.

Gregori, pontifex Romane, qui nomen habes à uigilando, exurge, & gladio ſpiritus iugula iſtam beſtiam.

Eccleſiæ poteſtatem, indicabitur. Verùm huic donationi conferat̃ Apoſtolorũ contentio in cœna myſtica, capite uigeſimoſecũdo Euangelij ſecundũ Lucã. Facta eſt enim contentio inter diſcipulos, quis eorum uideretur eſſe maior. Et dixit eis Ieſus: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habẽt ſuper eos, benefici uocantur. Vos autem non ſic. Sed qui maior eſt in uobis, fiat ſicut iunior: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Ieſus Chriſtus Dei filius æternus, caput & princeps Eccleſiæ catholicę, diſcernit miniſtros Eccleſiæ apoſtolos, & eorum ſucceſſores, à ciuilibus magiſtratibus: & ſeriò uetat, ne politicas functiones gerant Apoſtolici uiri. Et Papa Romanus ante alios omnes peccans in legem Domini Chriſti, omnium hominum Chriſtianiſsimus erit, & Apoſtolicus, & Epiſcopus omnium epiſcoporum catholicus, & caput eccleſiarum, & uicarius Chriſti ſanctiſsimus atq; beatiſsimus: ut ſi rex Medorum & Perſarum uetet, ne quis in aula ipſius geſtet baculum: & ille qui regis ſceptrum arripuiſſet, uellet in toto regno haberi optimus amicus regis, & pariter cum rege uero adorari, ceu legitimam adeptus poteſtatẽ. Cæterùm à Bonifacio tertio uſque ad hanc tempeſtatem numerantur Papæ Romani CLX: inter quos omnium laudatiſsimus eſt Gregorius ſeptimus. cuius uitam ſi quis cõponat cum deſcriptione Antichriſti, tam ſimiles eos animaduertet, quàm eſt ouum ouo, & graculus graculo. *Qvales Papæ Romani.* Et hæc ſummatim ſint dicta nobis de imagine prophetica: iam ſingula fuſius demonſtrabo, ſecutus ordinem uaticinij, ea tamen moderatione, ut interpretationem angeli cum ipſa imagine iungam. Nam ea res non parum lucis allatura eſſe negotio uidetur.

IN SOMNIVM DIVINVM ESDRAE PROPHETAE LIBER SECVNdus Explanationis Theodori Bibliandri.

ESDRAE PROPHETAE SOMNIVM VAticinum, *de fatis* Ro. *monarchiæ, quod libro eius quarto,* Cap. X. XI. & XII. *legitur.*

NOCTE quæ in craſtinũ futura eſt, manebis hic, & oſtendet tibi altiſsimus has uiſiones ſupremorũ: quæ faciet altiſsimus his qui habitant ſuper terrã, à nouiſsimis diebus. Et dormiui illam noctem, & aliam, ſicut dixerat mihi. Et uidi ſomnium. Et ecce aſcendebat de mari aquila, cui erant XII alæ pennarum, & capita tria. Et ecce ego à tumultu, & exceſſu mentis, & à magno timore uigilaui, & dixi ſpiritui meo: Ecce tu preſtitiſti mihi hoc in eo, quod ſcrutaris uias altiſsimi. Ecce adhuc fatigatus ſum animo, & ſpiritu meo inualidus ſum ualde: & modica eſt in me uirtus à multo timore, quem expaui nocte hac. Nunc ergo orabo altiſsimum, ut me confortet uſq; in finem. Et dixi: Dominator Domine, ſi inueni gratiam ante oculos tuos, & ſi iuſtificatus ſum apud te præ multis, & ſi certè aſcendit deprecatio mea ante faciẽ tuam: conforta me, & oſtende ſeruo tuo mihi interpretationem & diſtinctionem uiſus (explanationem uiſi) horribilis huius, ut pleniſsimè cõſoleris animam meam. Dignum enim me habuiſti, oſtendere mihi temporum nouiſsima. Et dixit ad me: Hæc eſt interpre-

terpretatio uiſionis huius. Aquila, quam uidiſti aſcendentē de mari, hoc eſt regnum, quod uiſum eſt in uiſione Danieli fratri tuo, ſed non eſt illi interpretatum: quoniā ego nunc tibi interpretor. Ecce dies ueniunt, & exurget regnum ſuper terram, & erit timor acrior omnium regnorum, quæ fuerunt ante eum. (illud.) Regnabunt autem in eo reges duodecim, unus poſt unum. (deinceps, uel alius alij ſuccedens.)

IN his quæ recitata ſunt, quatuor potiſsimum conſiderari oportet: uaticinij huius argumentum, genus & modum prophetiæ, authorem qui hæc reuelauit ac patefecit Eſdræ, ac per Eſdram Eccleſiæ ſanctæ ac toti mundo: poſtremò, ut ſe geſſerit Eſdras erga Deum, ſeq́ reuelationib. diuinis accommodarit. Quæ ordine ſingulatim explicabo per Domini gratiam.

Argumentū libri.

Et argumentum quidem angelus Vriel, myſtagogus & interpres Eſdræ, oſtendit. Nam uiſiones nouiſs. temporum pollicetur, quid Deus facturus ſit. Idq́ in precatione ſua repetit Eſdras, inquiens: Dignum me habuiſti, oſtendere mihi temporum nouiſsima. Principiò igitur certum aliquid conſtituere oportet de nouiſsimis temporibus: nam uox multiplex & ambigua eſt in ſcriptis prophetarū. Etenim אחרית ימים ahharithiamim, poſtremum aut nouiſsimum dierū: uel ימים אחרונים iamim ahharonim, dies aut tempora nouiſsima, quandoq́ dicunt̃ reſpectu præſentis temporis, quo propheta loquitur, aut ſcribit, ut Hieremias cap. 30. inquit, Et in nouiſsimo dierum intelligetis hæc. Loquitur autem de captiuitate Babylonica, & liberatione per Cyrum Perſarum regem: quę poſt annos haud ita multos ſunt experti. Aliquā do ſignificantur tempora, in quibus fuit exhibendus Meſſias, promiſſus & expectatus à primordio mundi. ut Eſaias cap. 2. & Micheas capite 4. loquentes de Meſsia & ipſius re-

Nouiſsima tempora quæ.

gno,

gno, dicunt: Et erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in uertice montium. Quomodo & Sibylla dicit, ἔσχατον αἰῶνα, id eſt, ultimum æuum. Et Ebr. 1. Nouiſsimis diebus iſtis locutus eſt nobis Deus in filio. Poſtremò nouiſsima tempora, & finis ſeculorum aut mundi, nō modò ille dies ultimus dicitur, quo Chriſtus iterum ueniet iudicaturus uiuos & mortuos: ſed etiā ſuperiora tempora inter primum Meſsiæ aduentum, quo ſalutis negotium peregit: & nouiſs. glorioſum, quo unicuiq; rependet pro ſuis factis, & ſeculum æternum ſuccedet. Quo temporū interuallo quarta & ultima Rom. monarchia diuidenda fuit, & paulatim abolenda, & ex ea ſubortus Antichriſtus uerbo Dei & Chriſti ſpiritu redarguendus, oppugnandus, cōficiendus: donec eum Chriſtus adueniens penitùs aboleat. De quo loquitur Paulus 1. Cor. 10. Hęc omnia in figura cōtingebant illis, nempe qui Chriſti aduentum in carnem præceſſerūt: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorū deuenerunt. Et 1. Timoth. 4. In nouiſsimis diebus diſcedent quidam à fide. itemq; 2. Timoth. 3. cap. Hoc ſcito, quia in nouiſs. diebus inſtabunt tempora periculoſa. Et Petrus 2. epiſt. Venient in nouiſsimis diebus illuſores. Ioannes autem uocat nouiſsimam horam, epiſt. 1. & in Apocalypſi, breue tempus, quod tamen plus mille quingentos annos iam complectitur. Qua ſignificatione in hoc quoq; uaticinio nouiſsimi dies dicuntur. Loquitur autem de regno diuidendo, ac tandem finiendo in nouiſsima ætate mundi. Et ne quis erret, aut ambigat, de quo'nam regno loquatur Eſdras, angelus apertè oſtendit illud ipſum, quod Daniel uidit, formidabilius omnib. regnis, quę anteceſſerunt. Leo quoque arguens aquilam, dicit: Non'ne tu es, qui ſuperaſti de quatuor animalibus, quæ regnare feceram in ſeculo meo, & ut per eos ueniret finis temporum eorum? Itaq; argumentū uaticinij huius nihil aliud iudicari poteſt, quàm explicatio fatorū quartæ & ultimæ totius mundi monarchiæ: in cuius fine aduenturus eſt iterum IESVS Nazarenus Meſsias, ad iudicandum uiuos

dum uiuos & mortuos, ſecundum ſcripturas.

Genus autem prophetiæ, & modum, antea copioſius indicauit: eſſe partim uiſionem, partim reuelationẽ, ut recentior theologia hæc diſtinxit. Nam quid eventurũ ſit Rom. imperio, uidit, audiuitq́ in ſomnis: quæ angelus expergefacto interpretatus eſt.

Genus & modus uaticinij, ſeu prophetiæ.

Neq́ dubitare fas eſt, quin Deus hoc uaticinũ ſomnium Eſdræ immiſerit, ac per angelum ſuum explanauerit. Nam de ſomnio Danielis eiuſdem argumenti cap. 7. nullus orthodoxus ambigit. cui non repugnat, ſed maximè congruit ei, & interpretatur. Vbicunq́ autem ueritas occurrit, Deo authori adſcribere conuenit: ut Ambroſius & Auguſtinus docent. Ac foret prorſus alienum non modò à pietate, ſed etiam à ſana ratione, alium authorem opinari huius præſagij, quàm Deum, ueritatis & ſapientiæ uniuerſæ copioſiſsimum fontem: quod experiẽtia plus MDC annorum iam ueriſsimum eſſe comprobauit? Nec mouere debet piũ lectorem, quòd Iudæi reiecti à Deo, librum hunc diuinum repudiarunt. ſed longè anteponendum eſt eccleſiæ Chriſti ſanctæ iudicium, quod hunc librum inter eccleſiaſticos & ſacros & diuinos publicè lectitat. Siue autem uiris pijs & ſanctis arcana ſua cõſilia & iudicia Deus reuelat, ut Dauidi, Moſi, Eſaię: ſiue improbis hominibus, ut qui dicũt, Ecce Domine prophetauimus in tuo nomine: Deus ueracem diuinationem ſibi aliquoties uendicat, uultq́ ab hominibus agnoſci munificentiæ ſuæ donum præſtantiſsimum. Dum enim per ſuos uates hominibus oſtendit tum bona tum mala euentura, Deus illo peculiari effectu euidentiſsimè teſtatur ſuam prouidentiam, & ſapientiam et bonitatẽ, & potentiam infinitam, ſeq́ Dominũ ac Deum eſſe omnium gentium, atq́ ex oppoſito, fictitiorum deorum uanitatem: ut Eſaias cap. 42. & 48. & alibi rationẽ hanc urget. Præſidẽ quidem uaticinationis ſtulta gentilitas putauit Apollinem: ſed ſcriptura diuinitus inſpirata oſtendit, filium Dei ac uer-

Author uaticinij huius Deus.

Donũ Dei prophetia

bum æternum, eſſe dominum prophetarum et ſpirituũ uniuerſorũ: ut angelus dicit Ioanni, Apocal.22. Vtitur autem plerũq; organo apto erudiendis hominibus, inprimis quidem miniſterio angelorum. Quomodo Ieramiel & Vriel Eſdram docuerunt, Michael & Gabriel Danielem, Raphael Tobiam. De Vriele archangelo ſcribit rabi Eleazar Cabaliſta capite quinto ediſſerens thronum glorioſum diuinę maieſtatis, quod præſit hierarchiæ tertiæ angelorum, quæ ſtat in conſpectu Dei. Sibylla uerò uxor Noe tribuit Vrieli munus reſerandi carcerem infernalem, & adducendi animas in ultimo iudicio ad tribunal Dei.

Quomodo ſe geſſerit Eſdras erga Deum. Cupidus fuit cognoſcendi res diuinas.

Reſtat, ut conſideremus, quomodo ſe geſſerit Eſdras erga Deum, ſeq; gratię diuinæ capacem præbuerit. Principiò quidẽ, ut Daniel uir deſyderiorũ, ita & Eſdras cupidus fuit cognoſcendi nõ res uanas, aut turpes, aut ad ſuum duntaxat emolumentum priuatum ſpectantes: ſed quæ ſpectabant ad pleniorem Dei cognionem, & cultum atq; gloriã, ſimulq; ad communem aliorum ſalutem. Quare angelus dicit ei: Solus hic illuminatus es, quia dereliquiſti tuam, & circa meam uacaſti legem, & quæſiuiſti. Vitam autem tuam diſpoſuiſti in ſapientia, & ſenſum tuum uocaſti matrem: & propter hoc oſtendi tibi merces (mercedes) apud altiſsimũ. Vbi luculentiſsimum documentum habemus eius quod ſapientia diuina loquitur in Solomonis ſententijs cap. 8. Diligentes me diligo: & qui manè uigilauerint ad me, inuenient me. Quodq; Dominus Chriſtus edicit: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperiet uobis. Quanquam uerò alicubi curioſior uideri poteſt Eſdras, altius indagando iudicia Dei & arcana conſilia: & limitem illum, quem præſcribit Ieſus filius Sirach cap.3. Eccleſiaſtici tranſilijſſe: tamen quia nõ impia fuit curioſitas, placidè caſtigatur, ne altiora ſe ulterius ſcrutetur, & opprimatur à Maieſtate. Sic eniu loquitur illi angelus cap.4. Excedens excelſit cor tuum in ſęculo hoc, & comprehendere cogitas uiam altiſsimi.

tiſsimi,

tiſsimi. Et 9. cap. Tu ergo noli curioſus eſſe, quomodo impij cruciabuntur: ſed inquire, quomodo iuſti ſaluabuntur, quorum eſt ſeculum, & propter quos, & quando. Deinde ſuo ingenio & uiribus & iuſtitiæ parum tribuit, deq; ſe humilime ſentit, diuinam opem ardentiſsimis precibus implorans. quod omnes ſancti facere ſoliti ſunt: ut Daniel fecit, ut Hieremias, ut Dauid, ut Solomon. Solomon namq; ca. 9. in libro Sapientiæ hunc ad modum ſupplicat Deo: Quis hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid uelit Deus? Senſum tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, et miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis? Iacobus quoq; apoſtolus capite primo Epiſtolę catholicæ, pręcipit: Si quis ueſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: poſtulet autē in fide. Hoc ipſum & angelus præcipit Eſdræ cap. 9. Deprecare altiſsimum ſine intermiſsione, & ueniam, & loquar tecum. Capite autē octauo, Deus illi tribuit humilitatem animi. Præterea diuinus Eſdras obſeruat loca & tempora, quæ illi præſcribit angelus, & uitat intemperantiam in cibo & potu & ſomno, quæ aduerſatur ſapientiæ: ieiunat uerò, ac temperantiā colit, quam Dominus Chriſtus & apoſtoli & prophetæ ſedulò inculcant, ſeq; modis omnibus accommodat iuſſui diuino. Poſtremò, ſibi reuelata myſteria cū animi gratitudine accipit, & celebrat Deum authorem tanti beneficij laudibus ampliſsimis, & ad fratrum aliorumq; hominum ſalutem candidè profert, neq; uanè oſtentans, neq; occultans malignè, quod ei creditum fuit. Cuius fidei teſtem habemus Iſraeliticum populum, qui Eſdræ dicit: Tu nobis ſuperes ſolus ex omnibus populis, ſicut botrus de uinea, & ſicut lucerna in loco obſcuro, & ſicut portus & nauis ſaluata à tēpeſtate. Quam obrem iuxta promiſſum Domini, Qui habet, dabitur illi: ſubinde maiorem gratiā percepit à Domino. Cæterū quia Deus uniuerſorum parens ac princeps, idem eſt in omnes

Obediēs eſt.

Cōmunicat alijs ſibi credita.

homines, & non reſpicit perſonam: quicunq; hodie quoq; uirtutes, quas habuit Eſdras, quasq; diuina gratia et ſpiritus ſanctus efficit in hominibus non obluctantibus illuminanti & uocanti & impellenti Deo, adtulerint ad oracula diuina intelligendum, minimè à ſchola diuinæ ſapientiæ excludentur, neq; inanes & uacui diſcedent. Et licet peccatores homines, tamen conſecuti miſericordiam per fidem in nomine Chriſti Ieſu, audiēt ipſi quoq;: Vos beati eſtis præ multis, & uocati apud altiſsimū, ſicut & pauci: & quod Apoſtolis ſciſcitantibus atq; petentibus ſolutionem parabolarum Chriſtus dixit, Vobis datū eſt noſſe myſteria regni cœlorū.

Circunſtantiæ temporis & loci.

Nō ſuperuacuum eſt etiam indagare tempus & locum, ubi et quando uaticinium hoc beatus Eſdras acceperit, atq; monimentis literarum comprehenderit. Nam ſæpe non parum habet momenti ad exactius intelligendum prophetias, nō ignorare loci & temporis circumſtantias: quas Daniel, Ezechiel, Hieremias, Eſaias, & alij diuini ſcriptores aliquoties annotant. In titulo quarti libri Eſdræ indicatur, fuiſſe captiuum in regione Medorum, in regno Artaxerxis regis Perſarum: nō Longimani, aut Mnemonis, ſed Darij. Nam licet in primo aſcenſu cum Ieſu & Zorobabel redierit in patriam, reuerſus tamen eſt in Perſiam & Mediam, ſiue ut reſides & cunctantes Iſraelitas impelleret ad redeundum in Iudæam, ſiue aliam ob cauſam. Non autem ubiq; indicatur, ut in 3. cap. ubi aut quando angelus eū docuerit. Vt ergo certum eſt, in Babylone anno triceſimo poſt captā urbem Hieruſalē reuelata eſſe, quæ tertio capite & ſequentibus aliquot leguntur: ita in reliquis, ſolerter coniecturis colligere oportet locum & tempus. Ex Danielis igitur uaticinio, quod angelus Eſdræ copioſius ediſſerit, colligimus, poſt annum primum Balthaſaris regis Babyloniorum hæc eſſe reuelata. Sic q; uera eſt traditio uetus Ebræorum, in Iudæa poſt reditum ex Babylonica ſeruitute inſtauratam explanationem legis, ut ca. 14. legimus: oportet hæc reuelata

eſſe

eſſe poſt libertatẽ à Cyro conceſſam, & ante urbem inſtauratam. Nam quæ capite x. legimus, nondum inſtaurata urbe, aut templo etiam nondum inſtaurato, angelus oſtendit, & inſequenti nocte hoc uaticinium: ſeptimo autem die poſtea, quę legimus cap. 13. & die inde tertio, quæ capite 14. legimus de inſtauratione ſcripturæ. Templi autem ædificiũ abſolutũ eſt anno ſexto regni Darij, & ſeptimo eius anno rediјt Eſdras ſecũdo aſcenſu, cum diplomate imperatorio, ut ordinaret eccleſiam & politiam. Quando ueriſimile ſit, concilium hoc magnum et celeberrimũ Eſdram coegiſſe. À quo anno exactus calculus uſq; ad Chriſtum natum, colligit DXV annos, ad initium monarchiæ Romanæ, & perpetuæ dictaturæ, quam Iulius Cæſar conſtituit CCCCL. Tanto interuallo præſagus Dei ſpiritus fata Imperij & monarchiæ Rom. antequam exiſteret monarchia, prædixit.

Sed quo tempore & loco unaquæq; pars uaticinij euenerit, ſingulatim indicabitur. Et in libro quidem primo chronologicam & geographicam demonſtrationẽ poſuiſſem, niſi prouerbium uulgare admonuiſſet, Cramben bis poſitam uel mortẽ adferre. Scopum quoq; uaticinij oſtendam in iudicio diuino de Romano imperio: quæ pars ultima eſt huius uaticinij.

AQVILA GERENS TYPVM MONARchiæ *Romanæ.*

Ecce aſcendebat de mari aquila, cui erãt XII alę pennarũ, & capita tria. Et uidi, & ecce expandebat alas ſuas in oẽm terram, et omnes uenti cœli inſufflabant in eam, & colligebantur. Et uidi, & de pennis eius naſcebantur contrariæ pennæ, & ipſæ fiebant in pennaculis minutis & modicis. Nam capita eius erant quieſcentia, & dimidium (medium) caput erat maius aliorum capitum; ſed & ipſa (uel ipſum,

ſcilicet caput)quieſcebat cum eis. Et uidi,& ecce aquila uolauit in pennis ſuis, et regnauit ſuper terrã, & ſuper eos qui habitant in ea. Et uidi, quoniã ſubiecta erant ei omnia ſub cœlo, & nemo illi contradicebat, neq; una quidem de creatura, quæ eſt ſuper terrã. Et uidi, & ecce ſurrexit aquila ſuper ungues ſuos,& miſit uocem pennis ſuis dicens: Nolite omnes ſimul uigilare: dormite unuſquiſq; in loco ſuo, & per tempus uigilate: capita autem in nouiſsimo ſeruentur. Et uidi,& ecce uox non exibat de capitibus eius, ſed de medietate corporis eius.

Quemadmodum in Danielis uaticinio quatuor beſtiæ aſcendũt ex mari,& XIII. cap. Apocalypſeos beſtia ſeptem habẽs capita & decem cornua: ſic è ſalo emergit aquila, imperij Romani ſymbolum. Mare autem ſignificare mundũ, antea in Danielis uaticinio uerbis Hieronymi patuit. Nã tria politiæ aut imperiorum genera diuinæ literæ indicant, ſummopere obſeruanda. Eſt enim regnum mundi politia qualiſcunq;, ſiue monarchia, ſiue ariſtocratia, ſiue democratia, ſiue alia forma ciuilis gubernationis. Vt Romæ initio fuit ſub regib. monarchia, & poſtea ſub imperatoribus. Democratia & populare imperium fuit Romæ, dum populus per curias diſtributus conferret magiſtratus,& leges ſciſceret, abrogaret, uel immutaret. Ariſtocratiã uidemus in populo Iſraelitico ſub iudicibus, hodieq; in urbe Venetiarũ. Et omnis quidem magiſtratus ſiue poteſtas à Deo eſt ordinata, ut principes ſint miniſtri Dei, ad bonum ſeruiẽtes hominibus, ut Paulus docet ſcribens ad Romanos. Idem adſtruit Dominus Chriſtus Pilato dicens: Nõ haberes in me poteſtatem ullam, niſi fuiſſet tibi cœlitus data. & Solomon uerbis ſapientię diuinę atq; æternæ ait Prouerb. 8. cap. Per me reges regnant, Et in libro Sapientiæ cap. 6. Præbete au

res uos, qui continetis multitudines, & placetis uobis in turbis nationũ. Quoniam data eſt à Domino poteſtas uobis, & uirtus ab altiſsimo: qui interrogabit opera ueſtra, & cogitationes ſcrutabit. Quũ enim eſſetis miniſtri regis illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neq; ſecundum uoluntatem Dei ambulaſtis. Hinc Dominus per Hieremiam, Nabuchodonoſorem appellat ſeruum ſuum, itemq; Cyrum in Eſaiæ ſermonibus. quod epithetum ſerui Dei, ut honeſtiſsimum & magnificentiſsimũ, ſubinde accõmodatur optimo regi Dauidi, uiro ſecundum cor Dei. Et Ioſaphat rex Iſrael corrigens iudicia magiſtratibus dicit 2. Paral. 18. Non hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunq; iudicaueritis, in uos redundabit. Hinc & principes ciuilem magiſtratum gerentes, in ſacris libris Dij uocantur: ut Exod. 22. Dijs nõ detrahes, & principi populi tui non maledices. Et Aſaph Pſal. 81. Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos dijudicat. Neq; poteſt ullus populus, quantũuis exiguus, carere magiſtratu: nec quicquam eſt melius in rebus humanis, quàm iuſtus & æquus magiſtratus. Cuius finẽ apoſtolus Paulus oſtendit, in priori ad Timotheum epiſtola, ut quietam & tranquillã uitam agamus in omni pietate & caſtitate. Iam uerò cuiuſcunq; modi eſt politia & ciuile imperiũ, duo alia regna in eo conſyderare oportet: alterum Dei, alterũ principis huius mundi & tenebrarum: & incarnato quidem filio Dei, regnum Chriſti & antichriſti. Nam ante diluuium in politico imperio Cainorum, quidam ad regnum Dei pertinuerunt, quidam ad regnum tenebrarum. Ita in Aegypto, Iſraelitæ pij ad Dei regnũ pertinuerunt, Iamnes et Iambres & Iſraelitę impij ad regnum diaboli. Atq; in hunc modũ ſe res habet in regno Aſſyrio uel Babylonico, & Perſico, & Gręco, & Romano, & Iſraelitico. Quare Dominus de iniquis iudicibus & magiſtratib. tam de Iſraeliticis pontificibus Anna, Caipha, & alijs principibus populi, quàm de gentilibus Herode,

rode, Pilatoq́ dixit: Hęc eſt tenebrarũ poteſtas. In Daniele aũt lapis cœlo ueniens, ſtatuam figurantem monarchias quatuor mundi potẽtiſsimas proſternit. cuius hæc interpretatio eſt: In diebus regnorũ illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum nõ diſsipabit, & regnum eius alteri populo nõ tradetur. Comminuet aũt & cõſumet uniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternũ. De quo & Dominus Chriſtus ait, Regnum meum nõ eſt de hoc mundo: ut homo arripiens ſibi regni Chriſti gubernationẽ, notorie ſit Antichriſtus. Manifeſta & Iudæorũ uęſania eſt, qui exhibito Ieſu Chriſto, expectant mutationẽ monarchiæ, ut nouus Meſsias imperiũ illis totius orbis conferat. Sed de his alibi copioſius diſſerendũ eſt. Cęterùm monarchiæ Romanę amplitudo maxima fuit imperante Vlpio Traiano, aut Diocletiano & Conſtantino, cum ſuis collegis: ab ultima Hiſpania & Aphrica, in cõfinia Parthiæ, graduum 90. cuiuſmodi 300. abſoluũt circulum totius orbis: latitudo ab æquinoctiali uerſus ſeptentrionem minimũ graduum 45. fuit. Gradui autem geographi aſsignant miliaria ſexaginta, uel Germanica mediocria quindecim. Si ad eam rationem uocemus, quę in Germania magna, & in Rhetia, Vindelicia, Illyrico, atq; Italia hodie Imperio Romano accenſentur, uix implebunt longitudinem & latitudinem 10. graduum: hoc eſt, uix quadrageſimã portionẽ ueteris monarchiæ Romanæ. Et quanta ſeueritate Romani imperitarint, quantus metus, quanta fuerit authoritas, multa oſtendunt, ueluti ciuium Romanorum in prouincijs incolumitas. De qua Cicero in Verrem: Facinus eſt uincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, parricidiũ necare. Vnde militum tribunus, qui Paulum apoſtolum uinxerat, expauit, ubi audiuit ciuem eſſe Romanum. Cæterùm plumas Hieronymus interpretatur in Ezechiele, nationes multas, quibus imperarunt Aegyptij & Aſſyrij reges: ungues autem, exercitus, & rapacitatem atq; uaſtationem gentium.

AQVILAE PENNAE XII,
reges XII.

Et uidi, & ecce à dextra parte ſurrexit una penna, & regnauit ſuper omnem terram. Et factũ eſt, cum regnaret, uenit ei finis, & non apparuit locus eius.

Reges 12. numerandi ſunt ab eo tempore, quo Romanus populus in Aſia & Aphrica & Europa, in ſuam ditionem redegit maxima ex parte, quę priores monarchię tres obtinuerunt, & quædam inſuper in occidente. Iulius autem Cæſar oppreſſa republica, populare ac liberum imperium conuertit in monarchiam. Prima igitur penna refert C. Iulium Cæſarem, qui tenuit imperiũ annos quinq;, menſes ſeptem, ut Euſebius in Chronicis refert. Iulius enim captus imperij cõſuetudine, penſitatisq; ſuis & inimicorũ uiribus, uſus occaſione, rapuit dominationem in urbe Rom. hactenus libera: quam ætate prima eum concupiſſe, uiri cordati animaduerterunt, uelut M. Cicero. Nam ſemper in ore habuit uerſiculos Euripidis: *Penna prima Iulius Cæſar.*

Nam ſi uiolandum eſt ius, imperij gratia
Violandum eſt: Alijs rebus pietatem colas.

Et poſt ciuilia bella non ueritus eſt impotentes uoces palàm edere: Nihil amplius remp. eſſe, appellationem modò ſine corpore ac ſpecie. Itaque in eum conſpirarunt plus quàm 60. Romani, patricij & equites, qui eum in curia 23 plagis confoſſum trucidarunt, anno ætatis L VI, ut Suetonius prodidit. Quod paucis uerbis Eſdræ uaticinium eloquitur: Cum regnaret, uenit ei finis, & non apparuit locus eius.

Et ſequens exurrexit, & regnabat: ipſa multũ tenuit tempus. Et factum eſt, cum regnaret, & ueniebat finis eius, ut non appareret, ſicut prior. Et ecce uox emiſſa eſt, illi dicens: Audi tu, quæ tanto tempore tenuiſti terram, hæc annuncio tibi, antequam incipias non apparere; Nemo poſt te tenebit tempus

tuum, ſed nec dimidium eius. Nam ſecundus incipiet regnare, & ipſe tenebit amplius tempus prae duodecim.

2. penna Octauius Auguſtus. Octauius Cæſar Auguſtus nihil cõuenientius ducens, quàm necem auunculi Iulij Cæſaris uindicare, tueriq́ꝫ acta eius, bellorum ciuilium, quæ quinq́ꝫ geſsit, & cauſam hinc ſumpſit. Aegyptũ, quod regnũ ex monarchia Macedonica unicũ reſtabat, in prouincię formã redegit. Pacis fuit perſtudioſus, ut breui tempore Iani templũ, quod belli tempore patebat Romæ, pace terra mariq́ꝫ parta ter clauſerit. Quumq́ꝫ abeſſet à cupiditate quoquo modo imperiũ augendi, uel belli gloriã, *Auguſtus moderatione plus effecit, quàm armis: ut Theodoſius etiam, & alij.* ea uirtutis ac moderationis fama Indos etiã ac Scythas auditu modo cognitos, ad amicitiã ſuã populiq́ꝫ Rom. pellexit, ultro per legatos petendã. Parthi quoq́ꝫ Armeniã uindicãti facile ceſſerũt, & ſigna militaria, quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerãt, repoſcẽti reddiderũt, obſidesq́ꝫ inſuper obtulerunt. Deniq́ꝫ plurib. quondã de regno cõcertantibus, non niſi ab ipſo electũ cõprobauerunt. Domini appellationẽ, ut maledictũ & probrũ exhorruit. Quamobrem & diu feliciſsimè imperauit, & facilẽ, qualemq́ꝫ ſemper optauerat, exitum ſortitus eſt. Hæc in uita eius prodidit Suetonius Tranquillus. Obijt autem anno ætatis 76. Imperij 57. Cuius numeri dimidiũ eſt, 28 anni: quanto tempore nullus Imperatorum illorum 12 Romæ imperauit. Id quod uaticiniũ diligentiſsimè inculcat, ne dubitationi aut errori locus relinquat. Sub hoc autem pacifico principe, (qui nimirum ex libris Sibyllinis, quos colligi & repurgari curauit, admonitus, Meſsiæ, Regi regum, Domini appellationem tranſcripſit) natus eſt Seruator totius mundi, & in cenſu Romani imperij ciuis adſcriptus, ut Euangelium docet. Vnde potiſsimũ Rom. monarchiæ titulus Imperij ſacri competit. *Sacrum Rom. imperiũ unde.*

Et leuauit tertia, & tenuit principatũ, ſicut & priores, et nõ apparuit et ipſa. Et ſic cõtingebat ex omnibus

bus

bus aliȷ̃s ſigillatim principatum gerere, & iterū nuſquam cōparare. Et uidi, & ecce in tempore ſequentes pennæ erigebant̃, ſed non tenebant principatū.

Claudium Tiberium Cæſarem priuignū adoptauit Auguſtus. Is per initia optimū principē præſtitit: tandē conuerſus in belluā truculentiſsimā, ut ſtupris & inceſtu fœdauerit urbem, aliȷ̃ſq; ſceleribus, & ſenatū propè uacuum fecerit cædibus. Sunt qui putēt, uenenū ei à Caio datū, lentū atq; tabificum. Aliȷ̃, in remiſsione fortuitę febris cibū deſiderāti, negatum: nōnulli puluinū iniectū, cum extractū ſibi deficiēti annulum, mox reſipiſcēs requiſiſſet. Obȷ̃t tertio & uigeſimo Imperȷ̃ ſui anno. Sueton. Eius decimoquinto anno, baptiſatus eſt Ieſus Chriſtus, ut Euangelica teſtat̃ hiſtoria. & anno 18 crucifixus, mortuus, ſepultus, reſurrexit tertio die à mortuis, & aſcendit in cœlum, deditq; diſcipulis & eccleſiæ ſpiritum ſanctum. *3. penna Tiberius.* *Id in Caligula Suetonius apertius indicat.*

C. Cæſar Caligula, filius Germanici, nepos Tiberȷ̃, naturæ ſæuæ atque probroſæ, quam nec inhibere poterat: Tiberium auum, ut antea dictum eſt, ueneno aggreſſus, ſpiranti adhuc detrahi annulum, & quoniā ſuſpicionem retinentis dabat, puluinum iuſsit iniȷ̃ci, atque etiam fauces manu ſua oppreſsit: liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamauerat, cōfeſtim in crucem acto. Gloriatus eſt etiam aſsiduè, introȷ̃ſſe cum pugione in cubiculum Tiberȷ̃ dormiētis, & miſericordia correptū, abiecto ferro, quo minus necē matris & fratrum ulciſceretur, receſsiſſe. Poſt mortem Tiberȷ̃ in Lucullana uilla, ingreſſo urbem ſtatim, conſenſu ſenatus, & irrumpentis in curiam turbæ, irrita Tiberȷ̃ uoluntate, qui alterum quoque nepotem ſuum cohæredem ei dederat, ius arbitriumq; omnium rerum illi permiſſum eſt. Aliquandiu principem, poſtea monſtrum exhibuit: qui etiam ſtans inter ſimulachra, ut Deus adorari uoluit, profeſſus etiam ſe gerere ſimultatē cum Ioue. Imperauit triennio & decem menſibus, diebuſq; octo. In palatio triginta uulneribus cōfectus *4. pēna C. Caligula.*

 eſt:

eſt: unaq; perijt uxor Cæſonia gladio confoſſa, & filia parieti illiſa. Sueton.

5. penna Claudius. D. Claudius Cæſar quinquageſimo ætatis anno imperiũ cæpit. Veneno quidem occiſum conuenit: ubi autem, & per quem dato, diſcrepat. Exceſsit anno imperij 14. Sueton. Eo imperante, Petrus uenit Romam, ut Euſebius teſtatur: concilium Apoſtolicum Hieroſolymis cærimonias Moſaicas abrogauit: Maria uirgo, mater Domini, ad cœlos migrauit. Is Claudius, religioni etiam reſtitit.

6. penna Nero. Claudius Domitius Nero, priuignus Claudij Cæſaris, ab eo adoptatus eſt 11. anno ætatis, & Senecæ traditus in diſciplinam. Septemdecim natus annos, imperium accipiens, petulantiam, libidinem, luxuriam, auariciam, crudelitatem ſenſim quidem & occultè ueluti iuuenili errore exercuit: paulatim uerò inualeſcentibus uitijs, ad maiora palàm erupit. Nefandis libidinibus urbem fœdauit. Senecam præceptorem, uirumq; ſanctiſsimũ, & matrem, necauit crudeliſsimus parricida. Vrbi flammas inijci iuſsit, ut ſpectaret ardentis Troiæ imaginē: eiusq; ſceleris Chriſtianos authores mentitus eſt. Talem principem, ut Suetonius dicit, uel potius monſtroſam belluam, paulominus per annos 14. perpeſſus eſt orbis terrarum: tandem deſtituit, initium facientibus Gallis, duce Iulio uindice, qui eam prouinciam obtinebat pro prætore. Nunciata exercituum etiam cæterorum defectione, ueneno condito in auream pyxidem, tranſijt in hortos Seruilianos. Ibi cum à ſenatu ſe damnatum ad furcas audiuiſſet, ferrum in iugulum ſuum adegit, & in hac uoce defecit, Hæc eſt fides: extantibus rigentibusq; oculis uſq; ad horrorem formidinemq; uiſentium. Sueton. Nero autem miſit Fl. Veſpaſianum cum exercitu contra Iudæos: primusq; Rom. Imperatorum Eccleſiæ perſecutionem mouit, principes apoſtolos Petrum & Paulum initiò ſtatim perimens. In eo Cæſarũ progenies defecit, ipſo Deo euidentiſsimis ſignis iram ſuam in Neronem & beſtiam iſtam declarante. Nouiſsimo enim Neronis anno, ſylua, ex qua triumphantes Cæſares laureas decer-

Plaga inflicta beſtiæ priori Romæ. Apoc. 13. cap.

decerpere ſoliti fuerant, omnis exaruit. Aede quoque Cæſarum de cœlo ſubinde tacta, omnibus ſtatuis capita ſimul deciderunt, Auguſtiq́ʒ ſceptrum è manibus excuſſum eſt. Proinde in Nerone impletum eſt, quod Dominus Chriſtus in Apocalypſi uaticinatus eſt capite decimotertio: Vidi unum de capitibus eius (beſtiæ uidelicet) quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt. Ab hoc etiam Nerone ſeptem reges Apocalypſis decimotertio & decimoſeptimo numerandi ſunt. *Cæſarum familia extincta.*

Sergius Galba dum Aphricam prouinciam regeret, hortantibus amicis, & inſtigantibus nonnullis uaticinijs, animum ad imperium Rom. adiecit. Eſtq́ʒ, occiſo Nerone, in uerba ipſius iuratum Romæ. Maiori autem fauore & authoritate adeptus eſt, quàm geſſerit, imperium. Perijt enim ſeptimo imperij menſe, trucidatus in foro Rom. à coniuratis: caputq́ʒ Otho ad ſe delatum in caſtra, lixis & calonibus donauit, qui haſta ſuffixũ, non ſine ludibrio circum caſtra portarunt. Sueton. *7. penna Galba.*

Otho Syluius, imperante Nerone ſpem cæpit imperij magnam ex temporum conditione, maiorem ex affirmatione mathematici Seleuci. Sperauerat quidem fore, ut adoptaretur à Galba, idq́ʒ indies expectabat. Sed poſtquam Piſone prælato, ſpe decidit, ad uim conuerſus eſt, inſtigante ſuper animi dolorem etiam magnitudine æris alieni. Deſtinata ad cædem Galbæ die, manè illum ſalutauit: utq́ʒ conſueuerat, oſculo exceptus, etiam ſacrificanti interfuit. Inde miſsis, qui Galbam & Piſonem trucidarent, uergente iam die ingreſſus ſenatum, poſuit rationem breuem, quaſi ui coactus imperiũ ſuſciperet, geſturusq́ʒ communi omnium arbitrio. Victus à Vitellio, & inſtantibus qui eum occiderent, ipſe pugione ſe traijciens, exanimatus eſt nonageſimoquinto imperij ſui die. Sueton. *8. penna Otho*

Aulus Vitellius, Othone occiſo, urbem cum exercitu ingreſſus, imperium arripuit, idq́ʒ adminiſtrauit non niſi uiliſſimi cuiuſque hiſtrionum & aurigarum conſilio & arbitrio. *9. penna Vitellius.*

Præcipuè luxuriæ & ſæuitiæ deditus. Cæterùm à Veſpaſianis militibus in palatio captus, & laqueo ceruicibus iniecto inter magna rerũ uerborumq; ludibria in forum protractus, apud Gemonias minutiſsimis ictibus confectus & excarnificatus eſt, octauo imperij menſe: & inde unco tractus in Tiberim. Suetonius.

Ac de illis tribus imperatoribus, qui uix XVIII menſes imperium tenuerunt, uaticinium diſertiſsimè dixit: Pennæ ſequentes erigebantur, ſed non tenebãt principatũ. Quamquam Titus etiam Veſpaſianus, & antea turpis iſte Caligula, & primus Cæſar Iulius, non diu imperitarunt.

10. penna Veſpanus. Flauius Veſpaſianus Auguſtus, Othone atq; Vitellio de principatu certãtibus, in ſpem maiorem imperij uenit, iampridem ſibi conceptam per oſtenta. In eius uerba iurarũt primùm legiones apud Aquileiam, deinde Iudaicus exercitus apud ipſum. Sola fuit in eo pecuniæ cupiditas, in qua meritò culpetur. Febri tentatus, cum ſuper urgentem ualetudinẽ creberrimo aquæ frigidę uſu & inteſtina uitiaſſet, nec eo minus muneribus imperatorijs ex conſuetudine fungeretur, aluo repentè ſoluta, Imperatorem ait ſtantem mori oportere. Dumq; cõſurgit ac nititur, inter manus ſubleuantium extinctus eſt. Imperauitq; annis decem. Sueton. Aurel. Victor.

11. penna Titus Veſpaſianus. Titus Veſpaſianus, patre uiuente participem atque tutorem imperij egit, mortuo ſucceſsit. Duos patricios cõuictos in affectatione imperij monuit, ut deſiſterent, dicens principatum fato dari. Fratrem Domitianũ ſibi non deſinentẽ inſidiari, conſortẽ & ſucceſſorẽ imperij teſtari pſeuerauit: utq; tandẽ mutuo erga ſe animo uellet eſſe, orauit. Exceſsit poſt bienniũ, ac menſes duos, diesq; 20. poſtquã ſucceſſerat patri. Suet. Sunt qui à fratre Domitiano ueneno dicãt extinctum.

12. penna Domitianus. Flauius Domitianus, Titi frater, defuncto patre Veſpaſiano, nunquã iactare dubitauit relictum ſe principẽ imperij, ſed fraudem teſtamento adhibitam. Neq; ceſſauit ex eo inſidias ſtruere fratri clàm palamq;, quoad correptũ graui ualetudine, priuſquã planè efflaret animam, pro mortuo deſeri

iuſsit: ſæpe etiã defunctũ carpſit obliquis orationibus, et edi ctis. Principatũ adeptus, neq; in ſenatu iactare dubitauit, & patri ſe & fratri imperium dediſſe, illos ſibi reddidiſſe. Vnde non ſine cauſa quidã ſuſpicãtur, & Fl. Veſpaſianũ & Titum ex uenenata potione, quã ipſe dari curauerit, febrim contraxiſſe lethiferã. Tantæ fuit arrogantię, ut inſtituerit, nec ſcripto nec ſermone aliter appellari, q̃ Dominus ac Deus noſter: ſæuitiæ aũt callidæ & inopinatę. Per ſcelera igiť ſua cunctis terribilis et inuiſus, tandẽ oppreſſus eſt amicorũ libertorumq; intimorũ conſpiratione, ſimul & uxoris. Eſtq; occiſus in cubiculo ſuo, imperij anno 15. Suetonius. Is perſecutionẽ eccleſię Chriſti grauẽ mouit: in qua Ioannes apoſtolus relegatus eſt in Pathmon inſulã. Vbi angelus à Ieſu Chriſto miſſus, dictauit eam diuiniſſimã Apocalypſim, in qua eccleſię et hoſtiũ eius fata uſq; ad ſeculi cõſummationẽ patefacta ſunt.

Ex his manifeſtũ eſt lectori attento, Eſdram & Danielem de Romana loqui monarchia. Neque opus fuit, ut plures in ea reges enumerarenť: præſertim quũ principes inſequẽtes nõ fuerint ciues Romani, ſed exteri. Sic enim ſcriptum reliquere Aur. Victor, et Eutropius, de Cocceio Nerua loquentes: Hactenus Romæ ſeu per Italiã orti rexere imperiũ, hinc aduenæ. Vnde compertũ eſt, urbem externorum uirtute creuiſſe: & reliqua. Cæterùm quod uaticinium dicit:

Et quam uidiſti uocẽ, quæ locuta eſt, non de capitibus eius exeuntẽ, ſed de medio corporis eius, hæc eſt interpretatio: Quoniã poſt tẽpus regni illius naſcenť cõtentiones non modicæ, & periclitabiť ut cadat, & nõ cadet tũc, ſed iterũ cõſtitueť in ſuũ initiũ.

Hæc pars uaticinij paratam habet, eamq; manifeſtam interpretationem. Primùm quidẽ ex bellis ciuilibus, quæ geſſerunt C. Iulius, Pompeius, & Craſſus inter ſe: deinde, Octauius Auguſtus, Antonius, & Lepidus, triumuiri: & tandem deficientibus legionibus & prouincijs à Nerone, ac Galba, Othone, Vitellio, & Veſpaſianis de imperio certantibus. *Seditiones inter Romanos, & bella ciuilia.*

Vt interim

Vt interim taceam, multos Imperatores creatos eſſe militū arbitrio, & non ſenatus populiq́ꝫ Romani. Deinde ex principum Romanorum mortibus. Nam unus Auguſtus facili morte, & qualem optauit, exceſsit: reliqui aut interfecti ſunt, aut ſeipſos interfecerūt, aut non ſine ſuſpicione ueneni extincti ſunt. Nam Titus quidem Veſpaſianus, delicium generis humani, & de omnibus benemereri ſtudens, immerenti ſibi uitam eripi queſtus eſt. Huc etiam facit, quod Suetonius ſcribit in Fl. Veſpaſiano: Per totum Imperij tempus nihil habuit antiquius, quàm propè afflictam nutantemq́ꝫ rempublicam ſtabilire primò, deinde ornare. Aliqui etiam prodigium editum ei Nerone imperante interpretati ſunt, quandoque proculcatam deſertamq́ꝫ rempublicam ciuili aliqua perturbatione, in tutelam eius ac uelut in gremiū deuenturā. Rurſum uerò degenere ipſius filio Domitiano imperante, cornix in Capitolio elocuta eſt, ἔσαι πάντα καλῶς. Quod oſtentum aliqui ſic interpretati ſunt:

Nuper Tarpeio quæ ſedit culmine cornix,
Eſt bene, non potuit dicere: dixit, erit.

Ipſum etiam Domitianum ferunt ſomniaſſe, gibbam ſibi pone ceruicem, auream enatam: pro certoq́ꝫ habuiſſe, beatiorem poſt ſe, lætioremq́ꝫ portendi reipublicæ ſtatum. Sicut ſanè breui euenit, abſtinentia & moderatione inſequentium principum. Etenim Cocceius Nerua oppido Narnienſi natus, moderatiſsimum principem egit, qui Chriſtianis etiam pacem dedit, exulesq́ꝫ reuocauit, & Traianum in filij locū & partem Imperij adoptauit. Is uerò Hiſpanus, talem ſe reipublicæ præbuit, qualem uix potuerunt exprimere ſcriptorum ingenia miranda. Omniaq́ꝫ in eo maiora uiſebant: quoniam per multos atque atroces tyrannos perdito atque proſtrato ſtatu Romano, in remedium tantorum malorum diuinitùs credebatur opportunè datus: meritoq́ꝫ pater patriæ dictus eſt. Sext. Aurel. Victor.

Octauū hunc dicit Apocal. bonum quidē inter Romanos principes, ſed qui abeat etiā in interitum. Nam & is perſecutus eſt eccleſiam.

OCTO

OCTO PENNAE SVBALARES, VIII *Imperij Rom. inuaſores & tyranni.*

Et uidi poſthæc, & ecce non comparuerunt XII pennæ, & duo pennacula: & nihil ſupererat in corpore aquilæ, niſi duo capita quieſcentia, & ſex pennacula. Et uidi, & ecce ſex pennaculis diuiſæ ſunt duæ, & manſerunt ſub capite, quod eſt ad dexterã partem. Nam quatuor manſerunt in loco ſuo. Et uidi, & ecce ſubalares cogitabant ſe erigere, & tenere principatus. Et uidi, & ecce una erecta eſt, ſed ſtatim nõ cõparuit: & ſecũdæ uelocius quàm priores, non cõparauerũt. Et uidi, et ecce duę quę ſuperauerũt, apud ſemetipſos cogitabãt & ipſæ regnare. Et in eo cum cogitarẽt, ecce unum quieſcentiũ capitũ, quod erat mediũ, euigilabat. Hoc enim erat duorũ capitũ (duobus capitib.) maius. Et uidi, quoniã cõpleta ſunt duo capita ſecũ (cum eo) & ecce cõuerſum eſt caput cum his qui cũ eo erant, & comedit duas ſubalares, quæ cogitabant regnare. Interpretatio aũt ſic habet. Et quoniã uidiſti ſubalares octo, cohærentes alis eius, hæc eſt interpretatio. Exurgent in ipſo octo reges, quorũ erunt tempora leuia, & anni citati: & duo quidem ex ipſis pariẽt. (aliqui libri habent, Periẽt, ſed malè) Appropinquãte aũt tempore medio, quatuor ſeruabunt in tempore, cum incipiet appropinquare tempus eius, ut finiat: duo uerò in finem ſeruabuntur. Et quoniam uidiſti duas ſubalares traijcientes ſuper caput, quod eſt in dextera parte, hæc eſt interpretatio. Hi ſunt, quos conſer-

uauit altiſsimus in finem ſuum: hoc eſt, regnum exile, & turbationis plenum.

Expoſitio ſubalariũ pennarũ in ſex pennaculis, uel minutioribus alis, difficilior eſt. Chriſto tamẽ magiſtro, & duce filo hiſtoriæ, me hîc quoq; uaticinij ſententiam non abſurdã, neq; alienã indicaturũ eſſe cõfido. Quum igit̃ octo ſint pennæ ſubalares in aquila, pennaculis ſeu alis ſex inhærentes, quatuor alas collocat uaticiniũ ſub capite ſiniſtro, duas ſub dextro: ut pennę quatuor ſint ſub utroq; laterali capite. quæ diſtribuunt̃ in tres ordines. Nam duæ pennę primò tollunt̃: deinde quatuor, inclinato imperio Romano ad occaſum: ex quibus duæ ſeruant̃ in finẽ, ſuperãtes etiam caput dextri lateris: duæ uerò poſt urbem captam in ſecunda Roma ſeſe erigunt. Exponit autem angelus octo reges, qui exurgant in Rom. imperio, ſed nõ diu obtineãt regnũ. Niſi quòd duo pariunt, & is partus cum diuiſo Imperio durat uſq; in finem eius, & ſuperãt caput dextrũ: ut ſit regnũ modicũ & turbulentum. Quare licet multi fuerint tyranni, qui arripuerũt imperium, & 30 quidẽ, ut ſcribit Trebellius Pollio, duntaxat Gallieno & Valeriano imperantibus, intra 23 annos: & inter illos etiam fœminæ duæ, Zenobia & Victoriana: ſunt tamen intelligendi octo inuaſores Rom. imperij, circa diuiſionem eius in tria capita. Vtq; ſit euidẽtior explanatio, monarchiæ Romanæ diuiſio, & tria capita prius explicabuntur, deinde ſingularum pennarum ſignificatio.

TRIA CAPITA AQVILAE, III REGNA *uel monarchiæ, natæ ex imperio Rom.*

Et quoniã uidiſti tria capita quieſcẽtia, hęc eſt interpretatio. In nouiſsimis eius ſuſcitabit altiſsimus tria regna, & reuocabit in ea multa: & dominabuntur terram, & qui habitant in ea, cum labore multo ſuper omnes, qui fuerunt ante hos. Propter hoc ipſi

uocati

uocati ſunt capita aquilæ. Iſti enim erunt, qui recapitulabunt impietates eius, & qui perficient nouiſsima eius. Et quoniam uidiſti caput maius (maximū) non apparens, hæc eſt interpretatio eius. Quoniam unus ex eis ſuper lectū ſuum morietur, & tamē cum tormentis. Nam duo qui perſeuerauerint, gladius eos comedet. Vnius enim gladius comedet, qui cū eo, (עמירתו proximum ſuum) ſed tamen hic in nouiſsimis cadet.

Ac ſuperius in imagine ſomnij.

Hoc aūt caput perconterruit omnē terrā, & dominabatur in ea his, qui habitabāt terrā cum labore multo: & potentatū tenuit orbis terrarū, ſuper omnes alas quæ fuerūt. Et uidi poſt hæc, & ecce mediū caput ſubito nō cōparuit, & hoc ſicut alæ. Superauerunt aūt duo capita, quę & ipſa ſimiliter regnauerūt ſuper terrā, & ſuper eos qui habitāt in ea. Et uidi, & ecce deuorauit caput à dextra, illud quod à læua.

Romanos tenuit perſuaſio, imperium ſuum æternū fore. Quam ſententiā Virgilius, et alij poetę Latini expreſſerunt. Et Dominus Ieſus gloriantem facit in Apocalypſi, ut Babylon gloriat̃ in ſermonib. Eſaiæ & Hieremię: Sedeo regina, & uidua nō ſum, & luctū nō uidebo. Eius igit̃ occaſum Dominus Chriſtus cap. 17. & 18. Apocalypſeos diligētiſsimè prædixit. Prędixerūt etiā Apoſtoli in urbe ipſa, ut Lactātius teſtatur. Sibylla quoq; Erythræa, & Cumana, & Chaldæa, uetuſtiſsima uxor Noe patriarchæ. Balaā quoq; augur Meſopotamius, & Hydaſpes rex Medorum antiquiſsimus ad poſteros trāſmiſit uaticiniū, ex orbe ſublatū iri imperiū nomenq; Romanū, multo antè quàm illa Troiana gens conderetur. Ante etiam diluuiū Enoch fata eccleſiæ & hoſtiū ipſius pręcinuit.

Aeternum imperium Rom.

 Et

Et cauſas quidem in iudicio aquilæ applicabo: nũc ordinem rei, ut inclinatum & diuiſum, & in ultimum exitium ſit impulſum Romæ imperium, ex idoneis authoribus demonſtrabo ſummatim.

Amplitudo imperij Romani.

Polybius ſcribit, olympiade CXXVIIII, quando fuit initium primi belli Punici, Romanos egreſſos primùm nauibus ex Italia in Siciliam, & per annos LIII. perdomuiſſe totum propè orbẽ. Adiecerũt tamẽ Imperatores, aliquot prouincias. nam Auguſtus Aegyptum in prouinciam redegit, & uirtutis admiratione Indos atq; Scythas amicos, ſocios & confœderatos populo Rom. fecit. Vlpius autem Traianus imperij Romani fines, quod poſt Auguſtum defenſum magis quàm nobiliter ampliatum fuit, longè lateq; diffudit: urbes trans Rhenũ in Germania reparauit: Daciam trans Danubium, uicto rege Decibalo prouinciam fecit. Armeniam, quam occupauerant Parthi, recepit. Albanis regem dedit. Hiberorum, Sauromatarum, Boſphoranorũ, Arabum, Oſdroenorum & Colchorum reges in fidem accepit. Carduenos, Mardomedos, Antemuſiũ Perſidis magnã regionem, urbesq; maximas Edeſſam, Babylonẽ, Seleuciã, Cteſiphontem obtinuit. Arabiã, Armeniam, Aſsyriam, Meſopotamiã prouincias fecit, cum ijs gentibus quę Madenam attingunt. Et acceſsit uſq; ad Indiæ fines, inſtituitq; claſſem in rubro mari, ut per eam Indiæ fines uaſtaret. Cæterùm Adrianus imperator inuidens gloriæ Traiani, qui tamen eum adoptauerat, eiusq; cõſobrinus, tres prouincias, Aſsyriam, Meſopotamiam, Armeniã abſtulit, ac uoluit imperij limitẽ eſſe Euphratem. idem facturus de Dacia, niſi amici retraxiſſent eum ab illo propoſito animi. Hæc Eutropius. Inde paulatim res Romanæ turbatiores euaſerũt, tumultuãtibus in oriẽte Perſis, ſiue Parthis: à ſeptẽtrione & occaſu ſeſe mouẽtibus Scythis, Gothis, Hunnis, Francis, Saxonibus: in Africa, Quinquegẽtianis: uſq; ad Diocletianũ, quẽ exercitus imperatorem creauit. Quumq; eſſent res per totũ orbẽ terrarũ turbatæ, quando in Britannia Carauſius, in Aegypto Achilleus, in Italia

Contractiõ finium imperij.

Faſtigiũ ſummum Rom. imperij, è quo cecidit tandem.

Iulianus

Iulianus imperatores eſſent facti, Iouius Diocletianus Herculium Maximianũ Auguſtũ fecit, Galeriũ aũt Maximianũ & Conſtantium Chlorum fidei Chriſtianæ conſortem fecit Cæſares. Quorum opera imperiũ reſtituit. nam tres tyranni ſunt deleti: & Britannia, Gallia, Germania, Aegyptus, Africa pacatæ ſunt. Narſen regem Perſarũ Odonatus à Diocletiano miſſus uicit, & uulneratũ uſq; ad inuios Parthiæ montes eſt perſecutus: ictumq; fœdus, ut Perſæ abſtinerẽt poſthac ab Armenijs, Meſopotamia, Aſsyria, & quinq; prouincijs trans Tigrim. Ita rebus in oriẽte cõpoſitis, Diocletianus Europã repetijt: ubi iam Scythæ, Sarmatæ, Alani, Baſternæ iugũ ſubierãt, unà cum Carpis, Cattis, & Quadis. Itaq; tum fines imperij ad Indos ab ortu ſolis propagati fuere. A' meridie Aethiopes per legatos acceſſere: ab aquilone barbaræ feræq; nationes Sarmatarum domitæ: ab occaſu Geſſoriacus Oceanus & Britannicus, admirabilis uictoriæ teſtis fuit. Et undiq; toto terrarum orbe Romana arma illuſtres uictorias aſſecuta, præbuere lætitiam ſocijs, rebellibus atq; cupientibus pugnare metum ac terrorem. Maximus autem triumphus poſt tot uictorias à ſenatu eſt decretus, & principibus inclyta cognomina indita à deuictis populis. Hæc Pomponius Lætus ex probatiſs. authoribus.

Cauſæ, ob quas Rom. imperiũ corruit, in Diocletiano euidẽtiſsimæ: impietas, quia perſecutus eſt eccleſiam: ſuperbia, iniuſtitia, tyrannis.

Et hoc meo quidẽ iudicio fuit ſummũ faſtigiũ Romanæ monarchiæ, ex quo ſeſe præcipitẽ in ruinã dedit, ſuis intolerandis flagitijs. Diocletianus enim, diuinos honores imperatoribus habẽdos eſſe decreuit: ipſeq; primus adorari uoluit, ceu in eo eſſet maieſtas cœleſtis: & edicto ſanxit, uti omnes ſine generis diſcrimine, ꝓſtrati pedes exoſcularent. Quibus etiã uenerationẽ quandã adhibuit, exornãs calciamẽta auro, gemmis, & margaritis. Anno aũt decimonono imperij, edicta per totũ propoſuit imperiũ, ut eccleſiæ Chriſtianæ ad ſolum deſtruerent, & ſacrę ſcripturę exurerent, Chriſtianiq; omni genere ſuppliciorum cogerẽtur immolare ſimulachris. Quã diuturnã & ſæuiſsimã perſecutionẽ tum alij, tum Euſebius Cæſariẽſis 8. lib. Eccleſiaſt. hiſtoriæ ſcripſit. Et ipſe qui-

Pedum oſcula, tyrannicũ ſeruitium & obſequium.

dem Diocletianus de ſe pœnas exegit impietatis. nam in amentiã ꝓlapſus, depoſuit imperiũ, ac tandẽ ueneno ſumpto ſeſe interfecit. Dederũt & Maximiani ambo pœnas impietatis, cõmiſſæ in Chriſtianũ populũ. Conſtantius aũt piè feliciterq́; in Chriſto Eboraci obdormiẽs, filio Conſtantino principi Chriſtianiſs. imperiũ tradidit. Et is princeps, ut ſapiẽter & piè iudicauit Blondus hiſtoricus, admiſſę à Rom. populo in religionẽ ulciſcendę impietatis miniſter ea ratione à Deo noſtro adſumptus fuit: ut cuius mutauit ſedẽ imperij, uires ex ſolidiori ſolio in lubricũ poneret, breui ad nihilum, unde creuerãt, redituras. Ipſamq́; imperij inclinationem dicimus originem habuiſſe à Gothorum in urbem irruptione. Hæc Blondus primo libro ab inclinatione Imperij.

Conſtantinus procurauit diuina ordinatione Rom. ruinam: tam longè abeſt, ut papiſticũ regnũ condiderit.

Diuiſio imperij Rom.

Fuit tamẽ diuiſio monarchiæ & trãslatio ſedis Imperij ex Roma in Thraciæ urbẽ Byzantiũ, cauſa remotior. Igiť Diocletiano & Herculio Maximiano deponẽtib. Imperiũ, Conſtantius & Galerius ex Cæſarib. Auguſti creati ſunt, & inter eos diuiſus eſt orbis Romanus: ut Galerius obtineret Illyricum, Thraciã, Aſiã, & in ſumma Orientẽ: Conſtãtius aũt Italiam, Gallias, Alpes, Hiſpaniã, Britanniã, Aphricã, & Occidentẽ. Sed uir optimus ab Italia & Aphrica abſtinuit, exiſtimans ab uno principe tantũ pondus minimè ſuſtineri poſſe. Gallias et Britanniã optimè adminiſtrauit, ut ſæuiente perſecutione Chriſtianorũ in toto Rom. orbe, pax eſſet in regno Conſtantij, & aſylũ Chriſtianis afflictis. Et hi duo Auguſti adlegerũt ſibi Cæſares: ut uno tempore quinq́; Imperiũ collegę adminiſtrarẽt, qui etiam bella mutuum geſſerũt non ſemel. Conſtantius filios habuit tres, Conſtantinũ ex Helena, Anaballianũ, & Conſtantiũ, & filiã Conſtantiã ex Theodora priuigna Herculij Maximiani. Moriens aũt, Conſtãtino, quem puerũ literis & moribus, & Chriſtiana religione, & re militari formandũ curauerat, quiq́; adoleſcẽs à Galerio miſſus contra Sarmatas, gentem ferociſsimã profligauit, regnũ Galliarũ, Hiſpaniarũ, Britanniæ, & alpiũ Cottiarũ tradidit, cœleſti nũcio (ut Pomponius ſcribit) admonitus: quòd eſſet à

Conſtãtij Chriſtiani imperatoris pietas.

Conſtantini Maximi imperium, diuinæ prouidẽtiæ opus inſigne.

ſet à tyrannis liberaturus imperiũ Rom. et Chriſtianis opem laturus. Cumq́ imperaſſet iam Conſtantinus in Occidente annos tres ſumma cum laude, ut meritò cognominaretũ Maximus, per literas, ferentibus eas occultis nuncijs, à Senatu Rom. uocatus eſt, ut urbẽ à tyrãnide Maxentij imperatoris crudeliſsima liberaret. Itaq; Italiã cum parte copiarũ petijt, oraculoq́ eſt cõfirmatus in itinere. Nam crucis præfulgidæ imago in cœlo uiſa eſt, cum notis literarũ, ἐν τούτῳ νίκα: id eſt, In hoc uince. Maxentij exercitũ cum ſæpius fudiſſet, maximaq́ clade in foro Iulij poſtremò affeciſſet, tyrannũ in urbẽ cõpulit. Vbi ſagã de belli euentu cõſuluit: quę iuſsit, infantibus cæſis aduerſa numina placare: diemq́ & horam præſcripſit, qua manus cõſereret cum Conſtãtino. Victus tamẽ eſt magna ſuorũ ſtrage apud Miluium pontem: ipſeq́ in Tiberim merſus, non repertus eſt, cacodæmonibus referentibus cum anima corpus ad ſempiterna ſupplicia. Populus Rom. lætus uictoria, licet recuſanti Conſtantino, & omnẽ ſalutem Chriſto ſeruatori tranſcribẽti, arcum triumphalẽ marmoreũ poſuit, & appellauit eũ urbis liberatorẽ, & fundatorẽ pacis.

Chriſtiano principi titulus cõuenientiſſimus, ut ſit pacificus: ſicut Chriſtus eſt princeps pacis.

Et quoniã Romani põtifices iactitãt, à Conſtantino illo ſibi donatũ ius imperatoriũ, & regiam poteſtatẽ in urbe Roma, & Italia, & toto occidẽte, imò in orbe toto, ut donationis diploma loquitũ, quod regib. Francorũ & alijs principib. atq; populis diu maximo cũ malo Chriſtianę reip. impoſuit: acta Conſtantini & meliori fide, & diligentius explicare hîc uiſum eſt. Statuã æreã, quæ dextra manu ſignũ crucis Ieſu Chriſti tenebat, in loco urbis celeberrimo collocari præcepit, cũ huiuſmodi latina inſcriptione: Hoc ſalutifero ſigno, & uero fortitudinis documẽto, urbem ueſtram iugo tyranni ſolutam liberaui, ſenatumq́ & populũ Rom. antiquo ſplendori & amplitudiui reſtitui. Deinde cõſtituit, ut † ſanctorũ reliquiæ collectæ, iuſtæ ſepulturæ mandarentur: ut ab exilio proſcripti reuocarentur: ut captiui & uincti ſoluerentur: ut bona publicata legitimis poſſeſſoribus ſuis reſtituerentũ: & ne quis Chriſtianos perſequeretũ. In primis aũt maturauit, eccle-

Acta Conſtantini Romæ, quæ repugnãt papiſticæ dominationi.

† Id nõ eſt, in aureis arcis aut ſarcophagis adoranda proponere oſſa piorum.

Reformatio Eccleſiæ.

uit, eccleſias Dei inſtaurare, easq́; exornare donarijs: ſimulachrorum uerò aras ex ipſis prorſus eruere fundamentis, atque igni cōburere: ac ſi quos illæ habuiſſent prouentus, eos diuinis conſecrare templis. Edictum quoq; pro Chriſtianis optimum, aſſentiente Licinio collega, publicauit, & ut Galerius quoque Maximianus in Oriente hactenus perſecutor Chriſtianorū reciperet, effecit. Quanquam Licinius & Maximianus in fide Chriſti & eccleſiæ ſanctæ non perſtiterunt diutius. Atq; hęc Nicephorus, eccleſię Conſtātinopolitanę alumnus, bona fide ſcripſit. Verùm de baptiſmo & lepra Conſtātini ſeductus, ut recentior ſcriptor, ex cōmentitia Donatione cū multis aberrauit, quos antiqua & exploratę fidei coarguit hiſtoria. Mox deinde legē tulit Conſtantinus, ut qui poſthac per blaſphemiā Chriſto maledicere, aut quenq; eorū qui eius cenſent̄ nomine, iniuria auderet afficere, dimidiam ſuorū bonorū partē amitteret. Ipſe quoq; manib. ſuis ligone accepto, in palatio ſuo Lateranēſi primus terrā fodere, & eccleſiæ formā in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti deſcribere cœpit. Deinde et hoc ꝓmulgauit, ut quicunq; Chriſtiana ſacra colētes ſuſciperēt, ac egerēt, ſumptus eis & ueſtitus ex ærario Imperiali præberet̄. Itaq; anno illo ſupra 12. millia uirorū, qui baptizati ſunt, in rationē regenerationis relata ſunt. Et grex quidē Chriſti quotidie incremēta cępit, ſimulachrorum aūt cultus paulatim diffluxit atq; diſparuit. Præterea ſenatu in baſilicā Vlpiam cōuocato, ſyncera mēte ſanxit, ne de cætero dij gentiū eſſe dicerent̄, uel crederentur: ſed Dominū Ieſum Chriſtū, ut Deum uerū certumq́;, in cœlis regnantē, adorarēt & colerent: quū ſeipſum ea in re apertū manifeſtumq́; haberēt exemplū. Et ne quis aliquid ueteris erroris apud ſe hærere ſuſpicari poſſet, ſynceritatis ſuæ indiciū templū in palatio ſuum oſtendit. Populus dictis Imperatoris applaudēs, quadrageſies Chriſtianorū Deum uerū Deū eſſe exclamauit. Conſtituit præterea uoluntariū, & nō coactum baptiſmū eſſe: neq; metu humano ad Chriſtianorū cultū quenq; accedere, uerùm uolentē caſto maturoq; cōſilio, ſacro

Et hoc pacto ſe initiare Chriſto, ac dedicare palatiū teſtatus eſt.

Iuxta præceptū Dei, Hūc Chriſtū audite: & Pſalm. 2. Nunc reges intelligite.

Volentium enim, et nō coactorū eſt, ſalutis myſterium: ait Nazianzenus.

ſacro illorũ numero aggregari debere. Cæterùm quia conſtitutiones hæ iam diuina prouidẽtia in hiſtoria Nicephori, libro ſeptimo extant, locupletes ſunt teſtes, quàm fœdę iam aliquot ſeculis per iſtam commentitiam donationem Conſtantini Romanenſes impoſuerint Chriſtianis principibus & populo. Conſtantinus enim Lateranẽſe palatium Chriſto, ut Nicephorus dicit, conſecrauit, non Papæ: itemq́ urbem, Italiam, & totum imperium Chriſto dedicauit, non Papæ: quod ſequens etiam narratio planum faciet. Nam multis prę lijs uicit Sarmatas & Gotthos, diripientes Thraciam, & omnem Scythicam gẽtem, quibus & pacem dedit: & ob id barbaræ nationes deditiſsimæ illi fuerũt. Quo tempore Iberes & Armenij, & multæ nationes feræ Chriſtiana ſacra ſunt complexæ, & profeſsio fidei Chriſti propagata eſt ubiq́ terrarum. Quoſcunq́ autem populos bello ſuperauit, per gratiam Dei in ſe collatam propagãdæ religionis ſtudio rependens, omnes ad hãc ſolam colendam excitauit, & in omnibus prouincijs partem aliquam publicorũ uectigalium eccleſijs tribuit, eamq́ donationẽ ratam eſſe omnibus ſeculis & temporibus ſanxit. Omnes deniq́ Iudæos, Græcos, Chriſtianos, ipſe Imperator cohortatus eſt, ut in primis diuinum colerent numen: commodum ſe Deo miniſtrum præbẽs, ut Chriſtiana religio quàm maximè augeretur. Vtq́ uno dicatur uerbo, ea, tẽpeſtate res Chriſtianorum fuere lætiſsimæ, iucundiſsimæ & florentiſsimæ: aduerſarij autem, in triſtitia, mœrore, & ſummiſsione.

Nõ Papæ, ſed Chriſto palatium Imperatoris Rom. dicatum.

Donatio Conſtantini uerè pia in eccleſias Chriſti quàm plurimas, ſed non paleæ Papiſticæ ſimilis.

Vnde meritò ἰσαπόστολος, id eſt, apoſtolis æqualis dicitur: quẽ utinam Põtifices Rom. æmularentur.

Porrò quum ad ſummam ſublimitatem pertigiſſet imperium, Conſtantinus urbem aliam Romanæ honore atque magnitudine æqualẽ conſtruere, ſuumq́ nomen imponere illi ſtatuit. Primumq́ in Aſia in Sardico agro, pòſt ad Sigæũ Troadis, ubi fundamenta iecit: tertiò Chalcedonem opus tranſtulit, ubi iam muri erant erecti. Sed aquilæ funiculos regulares ter quaterq́ architectis rapuere, & trãſmiſſo mari abiecerunt Byzantium. Oppidum illud cõditum eſt à Byzante Græco, regnante Manaſſe, paulo poſt Romam con-

Tranſlatio ſedis imperatoriæ.

Nota prodigium & auſpicium aquilarum.

Conſtantinopolis etiam Chriſto dicata, non Papæ.

ditam à Romulo & Remo. Vrbem uocauit nouam Romam, & ex ſuo nomine Conſtantinopolim, eamq́ Chriſto cum toto comme̅dauit imperio, ſtatua ipſius poſita in foro, quę aureum malum continebat, infixa illi crucis forma, cum inſcriptione huiuſmodi: Tibi hanc Chriſte Deus urbem commendo. In eam deductis multis Rom. familijs antiquis, liberam fecit, ac ſedem imperij. Diuiſionem autem imperij, Eutropius libro XI deſcribit, quòd filios tres hæredes imperij atque ſucceſſores Conſtantinus reliquerit, & Dalmatium nepote̅ ex fratre, & Annibalianum. Conſtantino quidem obuenere cunctæ prouinciæ trans alpes: id eſt, Cottiæ alpes, Galliæ, Hiſpaniæ, Britannia, Orcades, Hibernia, Thule: Conſtantio Aſia: Conſtanti Italia, Illyricum & Aphrica: Dalmatio Thracia, Macedonia & Achaia: Annibaliano Armenia, & finitimæ prouinciæ. Vbi Romano pontifici nihil eſſe adtributum, quis non uidet? Ac licet utraque Roma uetus & noua imperij ſedes, & plures collegæ Cæſares ſint, unum tamen adhuc Rom. imperium cenſetur: necq́ adhuc diuiſio in decem reges cernitur, inter quos XI rex iſte peſtilentiſsimus ſuboriri debuit, qui Rom. monarchiæ ultimum exitium adferret. Ad quam ruinam hiſce fermè gradibus eſt peruentum.

Vnde nimiru̅ inter ſymbola & inſignia Imperatoris orbe̅ cruce impoſita cernimus.

Diuiſum inter filios Co̅ſtãtini Rom. imperium: ubi ne teruncium quidem Papæ aſsignatum uidemus.

Romanum imperium quibus de cauſis, & ordine quo ceciderit.

Cum enim idololatria & creaturæ cultus per diuinam gratiam Conſtantini maximè opera in orbe cecidiſſet, nouum bellum diabolus mouit, primumq́ in Alexa̅drina eccleſia per Arium presbyterum: ut Dei filius haberetur pro creatura, & non ὁμοούσιος, id eſt, conſubſtantialis patri Deo. Quem Arium, & cum eo impiè de filio Dei æterno ſentientes, Alexander epiſcopus ab eccleſiæ ſanctæ communione remouit. Ei diſsidio ſeſe interpoſuit Conſtantinus, ſedulò exhortans ad co̅cordiam & Chriſtiana̅ unitatem. ſed quum literis & legationibus parum efficeret, indixit uniuerſalem ſynodu̅, ut Nicææ in Bithynia, CCCXVIII epiſcopi delectiſsimi ex orbe toto co̅uenirent, nec pauciores presbyteri, & innumeri alij uiri doctiſsimi. Cauſa uerò diligentiſsime diſcuſſa

Quanqua̅ per Samoſatenum Paulu̅ & alios antea no̅nihil tentatum eſt.

Nicæna ſynodus ab Imperatore coacta.

diſcuſſa per ſacroſanctum concilium, Arij dogma impium anathemate iugulatũ eſt: & decretũ, ut Ieſus Chriſtus filius Dei ὁμοούσιος, id eſt, conſubſtantialis patri Deo habeatur. Actaq; ſynodi ſcripta Imperator ad epiſcopos, qui ad ſynodum uenire non poterãt, & ad omnes eccleſias trãſmiſit, & ut piè decreta cõſeruarent, hortatus eſt. Atq; maiori Chriſtianę religionis amore accẽſus, ad populos omnes & urbes imperij Rom. dedit epiſtolas, ut erroribus relictis, amplecterentur Chriſtianã doctrinam & religionem: ſumptus inſuper ſuppeditans epiſcopis, ad eccleſiarũ ædificationes, & libros eccleſiaſticos. Peracta ſynodo, inuitauit epiſcopos, ut uenirent Cõſtantinopolim, & encęnia celebrarent, pijsq; precum ſacrificijs dedicarent eam Deo. Quæ geſta ſunt uiceſimo anno imperij Conſtantini, Paulino & Iuliano Coſs. Romæ, ut Nicephorus annotauit, CCCXXVI autem à Chriſto nato.

Dedicatio urbis Conſtantinopoleos.

Poſt mortẽ Conſtantini, quum ſucceſſores nõ pari animo colerent pietatem ueram, mox habuerũt hoſtes exteros, & tyrãnos inteſtinos: ipſiq; filij & nepotes Cõſtantini mutuis cædibus extincti ſunt intra 13 annos, unico ſuperſtite Conſtantio. Is rem ab initio præclarè feliciterq; geſsit contra tyrannos & hoſtes exteros, donec Ariana hæreſi per Euſebium Nicomedienſem & alios corruptus, Athanaſium & alios orthodoxos atq; catholicos uiros, qui decreta Nicæni concilij tuebantur, impiè perſecutus eſt. Itaque diſciſſa pace & unitate fidei catholicæ, Chriſtianos aduerſus Chriſtianos armans, totum imperij ſui tempus inde inquietum moleſtumq; exegit. Ac prementibus in Oriente Perſis, ea res coegit Imperatorem Conſtantium, ut conſortem regni adiungeret ſibi. Primumq; adoptauit Gallũ patruelẽ fratrẽ, nepotẽ Conſtãtini Maximi ex filio Cõſtantio: quẽ mox ob tyrannidem occidi iuſsit, & adſumpſit Claudium Iulianum fratrẽ eius. Is Conſtantinopoli & Nicomediæ Chriſtianis & liberalibus diſciplinis eruditus fuit, ex cõſilio Cõſtantini patrui: ſicq; religionem Chriſtianam coluit, ut etiã lectoris

Imperij turbatio ab Arianis profecta.

Iulianus apoſtata.

eccleſiaſtici munere fungeretur. Sed deprauatus lectione librorum Libanij ſophiſtæ impij, & Maximi philoſophi gẽtilis magiſterio, Imperator defecit à Chriſtiana religione, ſeq́ pontificem idolorum profeſſus eſt. Iuſsitq́ templa Paganorum confeſtim aperiri, ſtudens paganiſmum in omni ſua ditione dilatari, & Chriſtianiſsimum deleri. Scripſit etiam in Chriſtianos, quos contemptim Galilæos uocabat, libros acerbiſsimos. Cui tum alij, tum Cyrillus reſpondit: & Gregorius theologus ſcriptis in eum inuectiuis, ſempiternæ infamiæ conſecrauit. Proficiſcens autem contra Perſas, Chriſtianorum ſanguinem uouit dijs falſis, ſi uictoriam concederent: extructo etiam amphitheatro Hieroſolymis, Oroſio teſte: in quo reuerſus epiſcopos, monachos, omneſq́ illic ſanctos Chriſti cultores beſtijs obiectos laniari ſpectaret. Occiſus in deſerto Perſidis à dæmone, ut Calliſtus eius familiaris ſcripſit, ſanguine in cœlum eiaculato dixiſſe fertur, Viciſti Galilæe, uiciſti: Chriſtum uidelicet notans. Pij autem gratulabundi clamabant: Vicit Deus, & Chriſtus eius. Multa fuere tunc paſsim monſtra, quæ & Conſtantini ſucceſſores & ſtirpem, alioſq́ homines, Chriſtianæ pietatis admonuerunt. Quibus contemptis, & malo accepto, ſerius tamen didicerunt homines reſipiſcere. Extincto Iuliano, Iouiniano, uiro & Chriſtianæ pietati cõſorti, & militari uirtute ſpectabili, milites imperatorias infulas impoſuerunt. Non prius tamen Imperatorem ſe fore profeſſus eſt, quàm miles promiſiſſet, ipſum quoque Chriſtianum fore. Is quum fames in caſtris urgeret, aliaq́ inſtarent pericula, cõſilio habito cum ducibus, fœdus pepigit cum Perſis ad annos xxx, quo Tranſtigritanæ prouinciæ & pars Meſopotamiæ Perſis ceſſere, fineſq́ imperij reſtituti ſunt, qui ante Traianum fuerant. Iouinianus autem ſeptimo imperij menſe ſubitò expirauit. Cui milites Nicææ ſurrogarunt Valentinianum, Pannonium genere, uirum omnibus uirtutibus ornatum, quí que Chriſtianam religionem, Iuliano perſequente, palàm eſt profeſſus, & in imperio illibatam

Iouinianus Imperator.

Antiquus limes imperij reſtitutus Euphrates.

Valentinianus Impator Chriſtianus & orthodoxus imperiũ promouit in occidente.

batam retinuit. Valentem quoque fratrem catholicum & orthodoxum adhuc Cæſarem Auguſtum fecit, & tertio imperij anno Gratianum filium uix puberem. Ac Valentinianus deuictis Saxonibus & Alemannis, ad Oceanum uſque penetrauit.

Valens autem ab Eudoxio Ariano epiſcopo iterum baptiſatus, iuramento ei promiſit, cum Ario ſenſurum ſe, & non recepturum homouſion in concilio Nicæno à patribus orthodoxis ex diuina ſcriptura comprobatum. Et in Antiochia commorans, gentilibus & Iudęis & hęreticis omnibus fecit poteſtatem ſacra ſua celebrandi, nullis inimicus quàm qui Apoſtolicam doctrinam prædicabant. Quæ impietas aperuit ianuam ampliſsimam euertēdo imperio Romano: Deo interim admonente homines multis prodigijs, ut ſibi cōſulerent, obſeruando Chriſtianam inſtitutionem. Etenim in oriente Sapores rex Parthorum, rupto fœdere, quod Iouinianus percuſſerat, Cteſiphontem cæpit. Scythæ, Hunni, & Alani, ſuperato Iſtro limite imperij, Pannonias, Epirum, & Theſſaliam uaſtant. Sarmatæ quoq; præſidem quem dederat Imperator, expulerunt. Rebellat Germania etiam: & Picti atque Scoti Britanniam inuadunt. Valentianus apoplexia extinguitur, & in eius locum Valentinianus filius puer à Gratiano fratre Auguſtus creatur. Valens autem à Gotthis Arianis uictus in acie, & in caſula quadam latitans, igne ſubiecto extinctus eſt: iuſto quidem iudicio Dei, ut Oroſius & Eutropius annotarunt: quippe qui Arianæ perfidiæ uires priſtinas reddidit. Gotthi quoque obſidentes Conſtantinopolim, ſuburbana uaſtarunt, & perſoluta ingenti pecunia diſceſſerunt. Quo tempore Mauia regina Saracenorū, fœderata Romanis, auxilia miſit, fideiq; Chriſtianæ cum gente ſua conſors fuit. Vrgentibus igitur undiquaq; barbaris nationibus, Gratianus molem tantam expendens, Theodoſium Hiſpanum, nobiliſsimi generis, & ſpectatæ uirtutis in bello uirum, accerſiuit, eumque magiſtrum militum denuncians, cum exercitu miſit contra bar-

Valens Arianus deſciſcit à decretis Nicæni concilij, & ianuam aperit perditioni.

Saracenorum regina Chriſtiana, & Ro. amica.

Theodoſius Imperator Chriſtianiſs. recreat imperium.

baros in Thraciam. Atque is Theodoſius nomine ſuo proprio diuinum quiddam promittens, afflictam rempub. ira Dei, credidit miſericordia Dei reparandam, ut ſcribit Eutropius: omnemq́ fiduciam ſui ad opem Chriſti cõferens, Scythicas gentes ab Alexãdro etiam deuitatas, à Rom. formidatas, aggreſſus eſt, ingentiq́ ſtrage fudit. Itaque re feliciſsimè geſta, ut ad Gratianum rediјt, Syrmiј Auguſtus ab eo cooptatus eſt: & Thraciæ atque Orientis imperio, quod Valens miſerè perdiderat, eſt præfectus, Coſs. D. Auſonio & Olybrio. Qui fuit annus 318. à Chriſto nato. Gotthi allecti principis Theodoſiј uirtute, mortuo rege ſuo Athanarico, dediderunt ſe Romanis, & Parthi ſupplices petiere pacem.

OCTO PENNAE, QVAE TRIA CAPITA *quieſcentia aquilæ excitarunt.*

Iudiciј diuini cõſideratio in monarchiæ Rom. calamitatibus.

IAm uerò quibus de cauſis diuina prouidentia permiſerit octo contrarias pennas ſubalares in aquila exoriri, ante omnia conſiderandum eſſe iudico. Diuinum oraculum ad Saulem regem Iſrael, Quia reieciſti uerbum Domini, repudiauit quoq́ te Deus, ne amplius regnes: & ad Eli ſummum pontificem, Quicunque honorificauerint me, glorificabo: qui autem me contemnunt, erũt ignobiles (quod Conſtantinus Maximus uſurpare ſolitus eſt, exhortando ad Chriſtianiſmi ueri obſeruationem) tum alia exempla innumera comprobarunt, tum uerò imperiј Romani diuiſio, inclinatio, & ruina. Iuſtina etenim, uxor Valentiniani maioris, infecta hæreſi Ariana, uiuente Chriſtianiſsimo Imperatore, uirus conceptum effundere non eſt auſa. Mortuo autem marito, propalam & quidem maximopere contendit, ut fides Arianorum obtineret: primumq́ filio tenero Valentiniano, qui necdum boni maliq́ diſcrimen habebat, deuorandum hamum præbuit. Mox Ambroſium epiſcopũ Mediolani aggreditur, qui Auxentio Ariano ſucceſſerat, ipſe fidei catholicę omnino tenaciſsimus: rata ſe facilè confecturam eſſe

Arianiſmus excitauit pennas ſubalares.

ram eſſe quod cupiebat, ſi tantum uirum in ſuã pertraxiſſet ſententiam. Quum uerò ille magis magiſq; doceret contraria: & Imperatricem cohortaretur, ut à cœpto deſiſteret, filioq; paternam religionem & hæreditatem integram retineret: grauiſsimè id ferens Iuſtina, inſtigauit filium, ut in Ambroſium animaduerteret. Ille credens matris calumnijs, armatorum agmen adſumens, iuſsit epiſcopum è templo exire. Cui Ambroſius: Non libens hoc fecero. Non enim lupis ouium caulam prodam, neque blaſphemis templum Dei concedam. Quod ſi necare me uis, in eccleſia ferrum in me ſtringito, mori ſanè paratum. Interceſsit autem populus, quo minus aliquid uiolenter cum antiſtite ſuo uigilantiſsimo ageretur. Quæ res Iuſtinam magis etiam accendit ira, ut publico edicto Arianis conuentus habere ubilibet concederet: ſi quis uerò Imperiali conſtitutioni obſiſteret, mortis ſupplicio mulctaretur. Hæc dum aguntur à Iuſtina & epiſcopis Arianis, & Gratianus occupatus eſt bello Alemannico, Maximus in Britannia creatur Imperator, inuitus, ut ſimulabat. Nam in animo habens uniuerſum Rom. imperium ſubijcere ſibi, gnarus omnium quæ Ambroſio euenerant, alijs'que orthodoxis, ſuis conatibus prętexuit, quòd uellet eccleſiam rectè conſtituere atque ordinare, ne quid de patrijs dogmatibus immutetur. Itaque Valentiniano ſcribit, ſe declaraturum eſſe Imperatorem: ſimul'que hortatur, ne bellum gerat cum uera pietate, ſed paternam potius religionem integram ſeruet: additis etiam minis, niſi obſecundaret. Cæterùm Andragathius Maximi huius tyranni dux, interea Gratianum dolo circumuētum interfecit apud Lugdunum. Inde copijs auctis Mediolanum contendit Maximus, & Valentinianum cum matre fugere cogit in Græciam. Vbi ea comperit Theodoſius, primùm per literas caſtigat Valentianū: nō eſſe mirandum, quòd tyrannus Imperatorem fugauerit: quum ille rectæ fidei opem ferat, Imperator autem orthodoxam oppugnans ſententiam contra Deum bellum gerat. Mox ſtrenuo exercitu collecto, Theſſalo-

Fortitudo epiſcopalis.

Penna ſubalaris Maximus.

Memorabilis ſententia Imperatoris.

Theſſalonicam profectus eſt: ubi Valentiniani animũ curauit, morbo Arianæ hæreſæos, quem mater iniecerat, depulſo, & paterna fide reddita. Inde in Italiam traijciens, apud Aquileiam tyrannum Maximum uicit, & interfecit. Andragathius autem ſeſe in flumen præcipitans, interijt: ut formidoloſiſsimũ bellum ſine ſanguine confectum ſit, duobus duntaxat interfectis tyrannis.

Secunda pena Arbogaſtes & Eugenius.

Erat autem in Valentiniani palatio dux militum Arbogaſtes, Alanus genere, uir ſæuus, & idolorum cultor: qui abuſus nimia principis familiaritate, animum adiecit ad occupandum imperium: ſibiq; adiũxit adiutorem Eugenium, qui relicta ſchola, in qua grammaticum egerat, in palatio militabat, ſcribæ officio fungens. Hi duo corruptis pecunia cubiculi imperatorij cuſtodibus, apud Viennam Galliæ, Valentianum dormientem ſuffocarunt, & ſuſpenderunt laqueo, ut ſibi uoluntariam mortem conſciuiſſe uideretur. Eugenio deinde Arbogaſtes Imperatoris titulum imponit, ipſe acturus Imperatorem, & contrahit maximas copias. Theodoſius his rebus cognitis, cum exercitu ingenti proficiſcitur in Galliam contra tyrannos: & in alpibus apud Frigidum amnem conuenerunt hoſtiles exercitus. ubi Theodoſius uidens ſe undique ab hoſtibus concluſum, in edita rupe, unde conſpicere utrunq; poſſet exercitum, & conſpici, proiectis armis, ad ſolita ſe cõuertit auxilia, Deumq; proſtratus humi adiutorem inuocãs dixit: Omnipotens Deus, tu noſti, quia in nomine filij tui ultionis iuſtæ prælia ſuſcepi. Si ſæuis, in me uindica: ſin uerò cauſa probabili, & in te cõfiſus huc ueni, porrige dexteram tuis: ne fortè dicant gentes, ubi eſt Deus eorum. Quæ petitio minimè fuit uana. Confeſtim enim Arbetio magiſter militum Theodoſij, uir pius, aciem hoſtilem rupit: turbo etiam uentorum uehemens, & hoſtibus aduerſus, ſcutis ora & pectora hoſtium grauiter uerberabat, in eosq; tela uehementius impellebat. Ita in fugam uerſus eſt exercitus tyrannorum. Eugenius ad pedes Imperatoris ſalutem petẽs, à militibus truncatus eſt capite:

Oratio pia Imperatoris in prælio.

Arbogaſtes

Arbogaſtes autem, qui fuga euaſerat, ſuo ſe gladio peremit. Hoc igitur pacto ſequentes iſti duo, quorum uterq; affectauerat imperium, & una penna figurati ſunt, facilius etiam uicti ſunt, quàm prior tyrannus Maximus.

Theodoſius duobus filijs diuiſit imperium commune, Arcadium maiorem natu præficiens Oriẽti, Honoriũ uerò Occidẽti. Quorum curam etiam uiris potentiſsimis commiſit, Ruffino præfecto aulæ orientali, Stiliconi occidentali, Gildoni autem Aphricæ adminiſtratio credita eſt. Gildo comes Aphricæ, arbitratus minimam ſpem in adoleſcentibus Imperatoribus eſſe, mortuo Theodoſio, Aphricam ſibi uẽdicare conatus eſt, lxx millium exercitu comparato. Aduerſus quem frater eius Macezil, cuius filios interemerat, miſſus, cum millibus quinque, illum ſuperauit, ut captus etiam ſtrangularetur.

Tertia penna Gildo.

Maſtelzer.

Cæterùm Ruffinus & Stilico imperij nomen & ſpeciem filijs Theodoſij Arcadio & Honorio permittẽtes, ſummam rerum ſibi manu & lingua uſurparunt, ſub præfectorum appellatione imperantes Imperatoribus, & neuter contentus fuit loco & dignitate, quæ à Theodoſio eis obuenerat. Siquidem Ruffinus conatus eſt ſibi arrogare dignitatem imperatoriam: Stilico autem, Eucherio filio ſuo. Sed utrunque ambitio & auaricia præcipitem dedere in exitium. Ruffinus enim, genere Gallus, quem Theodoſius tutorem dederat filio Arcadio, & prꝫfectum prætorio, clàm miſsis muneribus Alaricho Gotthorum regi, capere arma contra Arcadium perſuadet: ut ſub eo metu diadema Orientis imponeret ſibi. Eduxit etiam ex Caucaſi rupibus nouum hoſtem, ut Hieronymus in epitaphio Nepotiani oſtẽdit, quos Iſauros & Hunnos aliqui dixerunt, qui tamen antea infeſtarunt imperium Rom. Reuera autem fuere Turci, qui Armeniam & Oriẽtis partes miſerè uaſtarunt, ut paulo pòſt uerbis Hieronymi docebo. Ruffinum itaque milites, qui Eugenium & Arbogaſtem duce Theodoſio extinxerant, inſtigante Stilicone apud Theſſalonicam trucidarunt ad pedes Arca-

Quarta pẽna Ruffinus.

 dij, qui

dij, qui pro more uictori exercitui obuiã progreſſus fuerat. Caput autem proditoris reſectum, lapide in os immiſſo, haſtæ infixum, & manum dexteram, per urbem milites circuntulerunt, cum huiuſmodi inſultatione: Date ſtipem inexplebilis auaritiæ uiro. Poſtea ſuffixerunt ante portas Conſtantinopoleos. Itaque tyrannus Ruffinus in ſuis ſceleratis conatibus extinctus, peperit tamen hoſtes imperio Turcas, qui hodieq; infeſtant imperij quantulaſcunq; reliquias.

Quinta penna Caianus.

Caianus, ſiue Gaianus, aut Cain, imitatus eſt Ruffini perfidiam, fretus auxilio popularium ſuorũ Gotthorũ, aut Scytharũ, qui ad Iſtrum ſedes obtinuerant, ut Nicephorus ſcribit. Is transfugit ad Romanos, & ex milite gregario copijs equeſtribus præfectus eſt. Quibus honoribus & ordine minimè contentus, imperium ſuæ poteſtati ſubijcere induxit in animum. Atq; ut hæc perficeret, populares ſuos Gothos è præfecturis eorum exciuit, & ex eis qui genere illũ attingerent, ordinum ductores, cẽturiones, & tribunos fecit, exercitumq; uniuerſum ſocijs ſuis credidit. Trigibildo autem, ſiue Trygbaldo neceſſario ſuo, Phrygiæ adminiſtrationem conceſsit, cũ dignitate Comitis. Eoq; uaſtante prouincias Orientis, ſimulat Cain uehementẽ indignationem, ut Imperatori nõ ſatis cauto aduerſum ingenia perfidiſsima ſe probaret, qui mitteretur cõtra Trygbaldum dux copiarũ. Eã uerò prouinciã adeptus, non modo urbes non defendit, ſed etiã reliquas diripuit, & euertit: & è regione Conſtantinopoleos caſtrametatus, adegit Imperatorẽ, ut ex ipſius arbitrio pacẽ cum eo faceret. Iterumq; peditibus & equitibus ab Imperatore præfectus, Chriſtianiſmi ſynceritatem Conſtantinopoli tentauit labefacere. Qum enim ipſe Arianus eſſet, poſtulauit ab Imperatore, ſuis complicibus Arianis in urbe templũ concedi. Ioãnes autẽ Chryſoſtomus, quem in conſilium adhibuit Imperator, eam rem ita diſſuaſit, ut cenſuerit potius imperiũ & omnia perdenda, quàm illis impijs templũ concedendo publicũ, eccleſiã Dei prodere. Quãobrem Cain repulſus, conſtituit urbẽ diripere, & inflammare.

Sed

Sed diuina repulſus uirtute, aliquoties tandem ſuos eduxit ex urbe, Martis aleam experturus, ut Catilina, uel potius Cain nouus. In quibus conatibus periјt, & caput eius relatũ eſt Conſtantinopolim. Quæ ſtudioſus hiſtoriæ eccleſiaſticę legere poteſt in XIII libro Nicephori.

Alteram pennã, quę peperit, urbiq; Romanę ſtruxit ultimum exitiũ, paulo diligẽtius uideo explicandã eſſe. Stiliconem enim Vandalũ ſignificat: qui bello, quo Arbogaſtes & Eugenius perierũt, egregiam nauauit operam: ideoq; apud Rom. Imperatorẽ & populũ, & apud Barbaros authoritate ac gratia plurimũ polluit. Sed is quoq; immemor beneficiorum, quæ plurima acceperat, & fidei quã dederat Chriſtianiſsimo principi Theodoſio, poſt eius mortẽ occupare imperium ſtatuit, haud minus ꝙ Ruffinus, aut Gildo. Verùm callidiſs. uir, ſecretiori uia rẽ molitus eſt. Patricij enim dignitate præditus, & opibus magnis, filiam Mariã Honorio nuptui dat: eaq; ante nuptiarũ diem mortua, Thermatiã alterã filiam ſuam ei deſpondet. Qua etiã mortua, cogitat in filium Eucherium transferre imperium: eiusq; rei perficiendæ occaſionem arripuit huiuſmodi. Quum Eudoxia imperatrix, eiecto Ioanne Chryſoſtomo Conſtantinopoleos patriarcha in exilium, Epiſcopos & eccleſias inter ſe commiſiſſet ac turbaſſet: quæ res tamen Archadium ſocordem principem & nimis uxorium latuêre: ea tempeſtate (ſicut in omnibus Epiſcoporum diſſenſionibus fieri ſolet) reſpublica etiam fuit turbatiſsima. Hunni enim, duce Hulda, quẽ alij Huldinum uocant, Thraciam infeſtam reddidere: & latrones iſti, quos Ruffinus in Oriente commouerat, Cariam & Phœniciam, & alias prouincias prædis & cladibus miſerè uexarunt. Stilico igitur, Honorij tutor & ſocer, & opum atque copiarum illius dux, parata iam antè habens ſtudia Romanorum, & Barbarorum, & alias res quæ ad imperij occupationem ſpectarent, cum præfectis hoſtium illorum egit, ac Imperatores inter ſe committere tentauit: id cum minus ei ſuccederet, operam dedit, ut per gẽtes bar-

Sexta penna, Stilico tyrannus perditiſsimus.

baras maximis calamitatibus inuolueretur reſp. eò ſpectans, ut commiſsis ipſis copijs, Romam occuparet, & cum ea imperium. Itaque primùm excitauit Vandalos, ſuos populares, & Alanos, Sueuos, Burgundiones, Francos, & alias gentes: quæ Rhenum tranſgreſſę, in Gallia & Hiſpania negotium faceſſerent. Deinde curauit Veſtgothos, qui mortuo Athanarico rege ſuo, Theodoſio ſeſe dediderant, & ab eo tempore ſtipendia Romanæ reipub. meruerant ſtipendijs priuari: ut iniurijs illis irritati, aduolarent in Italiam. Et quo minus ipſius machinationes deprehenderentur, inſpectis libris Sibyllinis, quę Romæ fata continebant, libros combuſsit. De quo Claudianus:

Nec tantum Geticis graſſatus proditor armis:

Ante Sibyllinæ fata cremauit opis. Gotthi ſtipendio & commeatu ſolito deſtituti, relicta Thracia, in Pannonias tranſierunt: ibiq; regem Alarichum crearunt, ex nobiliſs. familia Balthorum, & Chriſtianæ religioni amicũ, & qui ſub Theodoſij ſignis ſtrenuè ſe geſſerat, contra tyrannos pugnando. Eiq; ſe adiunxit Rhadgaſtus idolorum cultor, cũ CC millibus Gotthorum. Atq; hi duo exercitus anno poſt Chriſtũ natum CCCCVII miſerãdis modis Thraciã, Pannonias, Noricũ, Illyricum, & Italiã uaſtãtes, aduerſus Romã cõtenderunt. Et Rhadgaſtus quidem cum ſuis Paganis, qui gloriabantur ſe uinci nõ poſſe, dijs eos protegentibus, quibus ſacrificarent quotidie, in uicinia urbis conſtitutus, & imminẽs iam ceruicibus Rom. uno die uictus eſt, nullo Rom. uulnerato, in ipſius autem exercitu multo amplius quàm C millibus proſtratis. Ipſe quoque Rhadgaſtus cum filijs necatus eſt: ut ſcribit Auguſtinus libro V de Ciuitate Dei. Alij, ab Huldina & Sara ducibus Hunnorum & Gotthorum, concluſum fuiſſe in montibus Feſulanis Rhadgaſti exercitum dicunt, & fame deletũ. Alarichus eũ ſubſecutus eſt: cum quo bellum protraxit Stilico perfidus, captans uidelicet opportunitatem eripiendi Honorio imperium. Ac ſæpe fugauit Alarichum, & ita coarctauit, ut delere potuiſſet.

Collu-

Colludente ad hunc modum Stilicone in annum quartum, Alarichus monuit Imperatorem de perfidia Stiliconis: & petijt pacem, orans & obteſtans, ut Gotthis concederetur ſedes in Gallia, cui Vandali & alij barbari exciti à Stilicone imminebant. Honorius, qui perfidiam iſtam ex alijs quoque indicibus reſciuerat, iubet Stiliconem pacem facere cum Gotthis. Id quod illico exequitur Stilico, ceu fidus adhuc Imperatori: & commeatu inſtruit Gotthos, in Galliam profecturos. Sed occulte immittit Saulum Iudæum ducem, ipſo Paſchatis & reſurrectionis Dominicę die, Gotthis, ut more Chriſtiano intenti celebrandæ reſurrectionis Domini Ieſu, & nihil minus quàm de prælio cogitantes, penitùs extinguerentur. Verùm illi conuerſi in hoſtes, ope diuina penè omnes ad internecionem ceciderunt. Ea clade conſternatus Stilico, ſupplementa petijt ab Imperatore, in Gotthos reparaturus copias. ſed miſsis ducibus, occiſus eſt: qui ut unum puerum indueret purpura, totius generis humani ſanguinem dedit. Occiſus eſt etiam Eucherius, filius Stiliconis. Qui à puero meditatus fuerat Chriſtianorum perſecutionem: & eo tempore ad concilian-dum ſibi fauorem Paganorum, minabatur ſe regni primordia initiaturum eſſe templorum idolorum reſtitutione, & eccleſiarum Chriſti euerſione. Ad hunc igitur modum ſexta penna ſubalaris ſeſe erexit, & ſublata eſt: relicta interim ſobole, hoc eſt, Gotthicis & Germaniæ magnæ populis, quos Stilico excitauit in Romanum imperium. Quæ penna etiam num Romam ſuperat, ac interdum plus efficit, quàm ſit Romæ gratum.

ROMAE EXCIDIVM.

ET quia Roma inſigne exemplum eſt iudiciorum Dei, ut pòſt fuſius declarabitur, iudico nobiliſsimæ in toto mundo urbis excidium hîc non oſcitanter explicãdum eſſe: id que ex authoribus Chriſtianis, & eruditis & ſapientibus, qui eo tempore uixerunt. Etenim Rhadgaſto imminente Romanis arcibus, fit omnium Paganorum in urbe concur- *Roma idolorũ cultrix, dũ*

capitur quod principum & Epiſcoporum ſocordia poſt Conſtātinum accidit.

ſus, clamantium, hoſtem illum uirium copia, tum maximè præſidio deorum uincendum eſſe: potentem urbem autem ideo deſtitutam, & maturè perituram, quia deos & ſacra perdiderit. Magnis querelis ubique agitur, & continuò de repetendis ſacris celebrandisq; tractatur. Feruent tota urbe blaſphemiæ. Vulgò nomen Chriſti tanquam labes aliqua præſentium temporum probris ingrauatur. Itaque ineffabili iudicio Dei factum eſt, ut quoniam in permixto populo pijs gratia, impijs pœna debebatur, oportebatq; permitti hoſtes, qui inſuaſibilem in plurimis & contradicentem ciuitatem ſeuerioribus ſolito flagris coarguerent, non tamen eos qui indiſcretè cunctos intemperata cæde delerent: duoq; tunc populi Gotthorum, cum duobus potentiſsimis regibus ſuis, per Romanas prouincias baccharentur, quorum unus Chriſtianus, propiorq; Romano populo, & ut res docuit, timore Dei mitis in cæde: alter paganus, barbarus, & uerè Scytha, qui non tantum gloriam aut prædam, quantum inexaturabili crudelitate ipſam cædem amaret in cæde: & hic iam receptus ſinu Italiæ, Romam è proximo trementem terrore quaſſabat. Itaque ſi huic ultionis poteſtas permitteretur, quem Romani ob hoc præcipuè timendum arbitrabantur, quia fauorem deorum obſequijs ſacrificiorum inuitaret, & immoderatior cæde ſine fructu emendationis arſiſſet, & error nouiſsimus peior priore creuiſſet. Quandoquidem in pagani & idololatræ manus incidiſſe, non ſolum paganis reſiduis de reſtaurando cultu idolorum eſſet indubitata, ſed & Chriſtianis periculoſa perſuaſio: quum & hi præiudicio terrerentur, & illi confirmarentur exemplo. Quamobrem iuſtus diſpenſator humani generis Deus, perire paganum hoſtem uoluit, & Chriſtianum præualere permiſit. Vt pagani, blaſphemantesq; Romani, & illo confunderentur perdito, & hoc punirentur immiſſo. Profligatis igitur copijs Stiliconis, Alarichus cum Veſtgothis trepidam Romam obſidet, turbat, irrumpit: dato tamen præcepto prius, ut ſi qui in ſancta loca, præcipueq;

De his Oroſius, & Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei.

Sapienter expēdit Oroſius, cur potius per Chriſtianū regem, quàm idololatrā, capta ſit Roma.

pueq́ in ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas confugiſſent, hos in primis inuiolatos ſecuros'que eſſe ſinerent: tum deinde, in quantum poſſent, prædæ inhiantes, à ſanguine temperarent. Et ne quiſquam fortè dubitaret, ad correptionem ſuperbæ, laſciuæ & blaſphemæ ciuitatis hoſtibus fuiſſe permiſſum, eodem tempore clariſsima urbis loca fulminibus diruta ſunt, quæ ab hoſtibus inflammari nequiuerunt. Hæc Paulus Oroſius. Capta eſt autem Roma Calendis Aprilis, anno CCCCXII à Chriſto nato, ab urbe condita MCLXIII. Fertur etiam, Eutropio authore, quia quum Alarichus pergeret ad expugnandum Romam, & quidam uenerabilis conuerſatione monachus eum monuiſſet, ne gauderet necibus & ſanguine humano, ne'ue talia mala faceret, reſpõdiſſe: Non uolẽs Romam proficiſcor, ſed quidam quotidie moleſtus eſt, & urgens: Perge, & Romanam deſtrue ciuitatẽ. Hieronymus ſanè atrocem, & Samaritanæ aut Hieroſolymitanæ perſimilem cladem Romæ oſtendit, ſcribens hæc ad Principiam uirginem: Dum hæc aguntur in Iebus, terribilis de Occidẽte rumor affertur, obſideri Romam, & auro ſalutem ciuium redimi, ſpoliatosq́ rurſum* cruciari: ut poſt ſubſtantiam, uitã quoq́ † amitterẽt. Hęret uox, & ſingultus intercipiunt uerba dictãtis. Capitur urbs, quæ totũ cæpit orbem. Imò fame perit antè quàm gladio: & uix pauci, qui caperentur, inuenti ſunt. Ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua inuicem membra laniarunt: dum mater non parcit lactanti infantiæ, & recipit utero, quem paulo antè effuderat.

Vindicta numinis manifeſta in Româ, Pauli Oroſij iudicio.

Hieronymus de Roma capta.

** circundari.*
† perderent.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lachrymis æquare dolorem?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

Hæc & alia dicit Hiero. ſe accepiſſe à uiris ſanctis, qui uidere. Quibus adſtipulatᷣ Nicephorus lib. 13. copioſe deſcribẽs, ut Roma capta ſit. Addit etiã, tantã eo tẽpore cædẽ hominũ factã eſſe, quantã ętas nulla à ſeculo cõdito nouit: quę mala,

Dies Domini magnus et horribilis.

mala,tum alia prodigia,tum cometes gladij formã prẹferẽs denunciarunt. Non milites tantum interiere, neque in aliqua orbis parte mala hæc conſtitere: ſed omne genus hominum conciſum eſt, & tota perijt Europa. Aſiæ quoque pars non exigua attrita eſt, plurima item Libyæ, potiſsimum uerò quæ Romanis tributaria & ſubiecta fuit. Namq; multitudinem hoſtium barbarorum gladius abſumpſit. Reliquos fames, & peſtis, & ferarum greges abſumpſere. Ad hæc terræmotus funditùs euertentes domos & urbes, homines multos in exitium ineuitabile coniecerunt. Multisq; in locis terra hians correptis hominibus, ſponte ſepulchrum præbuit. Inſuper aquarum pluuialium illuuiones, & flammeæ ſiccitates, & fulmina uariam & grauem edidere calamitatem. Quinetiam pluribus in locis grandinis lapides manuarij, & maiores etiam circiter octo librarum deferri ſunt uiſi. Denique niuium uis & frigoris immanitas, quos aliæ plagæ non præripuerunt, extinxere occupatos. Quæ omnia euidenter diuinam indignationem deprędicarunt. Ignis quoque cœlo cadens in mare, ita inflammauit, ut ardentis regionis ſpeciem præberet. Aliaq; generis eiuſdem extitere mala, quæ nouo modo ſatis oſtenderunt, ab irato Deo hæc flagella hominibus inflicta fuiſſe: id quod Hieronymus etiã fatetur, ut in iudicio aquilæ, ipſius uerbis oſtendam. Porrò Genſerich Vandalorum & Alanorũ rex, Arianæ impietatis ſectator, & catholicæ fidei hoſtis & perſecutor, ſubſecutus Alarichũ anno XLVI, poſt natũ uerò Chriſtũ ſeruatorẽ CCCCLVII, Romã ſpoliauit omnibus opibus, & ex ea imperij ornamenta Carthaginem, quondã æmulam Romæ, tunc uerò à Vandalis occupatam tranſtulit. A' quo tempore urbs Roma nihil amplius habuit imperij uel maieſtatis, ſed improbiſsimo cuiq; patuit maximè. Quum enim Oreſtes Rom. patricius, data pecuniæ nõ modica ui, cum Genſericho pactus eſſet, filio ſuo Auguſtulo imperium arrogauit. Sed Odaker ab Oceano Germanico aduolans cum Rugis & Herulis, & alijs populis, Oreſtem occidit,

Primæ Romæ gloria penitus concidit.

occidit, & Auguſtulum coegit purpuram & titulum principis Romani deponere, ipſeq́; Romam tenuit & Italiam annos XIIII, donec Oſtrogotthorum rex Theodoricus eum occidit. Eo tempore penitus concidit imperium occidentale Rom. ut ne quidem nomine Cæſar uel Auguſtus uel Imperator eſſet, uſq; ad Carolum Magnum regem Francorũ, cui Rom. Papa titulum hunc adtribuit. Poſtremò Totilas Gotthorum rex, cognomẽto Flagellum Dei, Romam poſt diuturnam & grauem obſidionem cæpit, diripuit, uaſtauit igne atq; demolitione murorũ: ut per menſem uacua prorſus incolis iacuerit, imperante Iuſtiniano in oriente, anno poſt Chriſtum natum D XXXXVIII. Itaq; uaticinium Ieſu Chriſti Apoc. 17. & 18. cap. & Sibyllarũ atq; aliorum uatum pręſagia de excidio Romæ, locupletiſsimè rebus impleta ſunt.

TRIA CAPITA, ET PENNAE DVAE SVBalares aquilæ: inprimis uerò papatus deſcriptio.

Reliquum eſt igitur, ut duas pennas ex octo illis demonſtremus, quas caput medium & grande aquilæ deuorauit. Sed prius capita oportet cognoſci tria, q́; euidens pennarum demõſtratio exhiberi queat. Sibylla etenim Cumana inter aduentum Chriſti primum & ultimũ interſerit diuiſionem Rom. monarchiæ in tres partes, hiſce uerbis, ſed Latine interpretatis:

Et tunc Latinorum implacabilis ira uirorum,
Tres Romam miſerabili ſorte deſtruent.

Ac nemo quidem negauerit, Conſtantinopolim uel nouam Romam & eius imperatorem caput eſſe aquilæ, quod ſibi ius & poteſtatem uindicauit in Romam & Italiam multis annis: quod Orientalium imperatorum conſtitutiones, & acta, & hiſtoriæ planiſsimum faciunt. Quod ſi ergo demonſtretur monarcha, qui Romam ſuam eſſe propriam ſedem contendat, eiq́; & Italiæ, & alijs populis atq; nationibus det leges, ut princeps Romanis, & cui principes occi-

dentis atque populi obediunt nolente uolente imperatore Conſtantinopolitano, hoc utiq; ſecundum erit caput aquilæ. Iſtum uerò regem Sibylla Erythrea, quę ante bellum Troianum uaticinata eſt, resq; Domini Chriſti tam perſpicuè cecinit, ut uideatur non tam uaticinari, quàm euangelicam hiſtoriam texere, deſcripſit luculentiſsimè, notato loco, tẽpore, perſona, factis, exitu. Quare ipſius uerſus è ſermone Græco interpretabor Latinè oratione proſa, & explanationem adijciam: ut nemo niſi cæcus & amens, non uideat illum regem Rom. imperij, & totius orbis nocentiſſimam peſtem. Sunt autem uerſus hi octauo in ſermone carminum Sibyllinorum, quæ Græco ſermone publicata extant:

Papæ deſcriptio ex uaticinijs Sibyllinis.

Venturæ magnæ iræ ſuper mundum incredulum & immorigerum
Nouißimo in ſeculo, Dei admonitiones indiciaq; oſtendo,
Omnibus prophetans hominibus oppidatim.

Præfatiuncula.

Præfatiuncula oſtendit argumentum huius fatiloqui ſermonis, nempe quòd Sibylla diuinitus edocta, uelit admonere homines, de malis quæ ipſis exantlanda ſint nouiſsimis temporibus, ob ſua peccata inprimis, quia ſunt ἀπειθεῖς, increduli & inobedientes Deo: ut Paulus etiam 2. Theſs. 2. cauſam efficientem Antichriſti oſtendit. Deinde recenſet monarchias primarias à diluuio & ædificatione Babylonis, Aegyptiorum, Perſarum, Medorum, Aethiopum, Babyloniorum, Macedonum, & Italorum. Docet autem Romam funditus eſſe deſtruendã ob ſua peccata, maximè ob idololatriam & auaritiam. quod iudicium Romæ ſuo loco referam. Et decantato excidio Romę prioris, alterius Romæ peſtilentiſsimum regem his uerſibus depingit:

Verũm ubi tibi reges delicati ter quinq; fuerint,
Qui mundum ſeruitute preſſerunt ab ortu ſolis uſq; ad occaſum,
Erit rex cano galero præſignis, nomen habens affine Ponto.

Quãdo antichriſtus oriturus ſit, ubi, & qualis.

Imperantibus Arcadio & Honorio capta eſt à Gotthis Roma. Poſt hos reges XV hi ſunt, 1. Theodoſius iunior.

2 Valen

2. Valentinianus tertius. 3. Martianus. 4. Leo. 5. Maiorianus. 6. Seuerus. 7. Anthemius. 8. Leo iunior. 9. Zeno Iſauricus. 10. Anaſtaſius. 11. Iuſtinus Subulcus. 12. Iuſtinianus. 13. Iuſtinus iunior. 14. Tiberius. 15. Mauricius. Eum Phocas centurio interfecit cum uxore & liberis octonis, & cũ amicis crudeliſsimè, atq; à ſcelerato exercitu creatus eſt imp̃ator. Qui adeò ſocors, & adulterijs, impietate, omniq; genere ſcelerũ adeò infamis fuit, ut nihil prorſus in eo laudari poſsit, ꝗ quòd Romanum pontificem iure declarauit omniũ principem, ut ſcribit Egnatius. Et tunc undiq; barbari inuadentes imperium Romanum, uix eius umbram aliquam reliquerunt. Nam Choſroes rex Peſrarum cædis Mauricij ultorem ſe profeſſus, pace rupta bellum in Romanos repetijt: breuiq; tempore ſubegit Syriam, Palęſtinam, Phœnicen, Armeniã, Cappadociã, Galatiam, Paphlagoniam, progreſſus etiam ad Chalcedonem uſq;, ſuburbium Conſtantinopoleos, trucidando homines, & euertendo ædes atq; templa: ut copioſius ſuo loco dicetur. Ab occaſu in Europa & ſeptentrione graſſati ſunt Abares, ab orientali Scythia progreſsi duce Caiano, ſiue Chagano. Vident̃ autem mihi Abares Tartarorum, id eſt, relictorũ Iſraelitarum in oriente, quum eis Cyrus libertatẽ conceſsiſſet, pars: ſicut & Turcæ, & alij, de quibus Eſdras loquitur cap. 13. quarti libri. Nã עברים Abarim uel Ibrijm, ab alijs Abares & Auares dicuntur. Regem autem ſuum & imperatorẽ uocarunt כהן Cohan, ut Indi & Tartari etiam ſuum principẽ uocant Chan: quod uerterũt in Caianum & Chaganum, & Cacanum, putantes nomen eſſe proprium. Cæterum Saraceni uaſtarũt Aegyptum: Germanici autem et Gotthici populi abſtulerunt partem Aphricæ, Gallias, Hiſpanias, Germanias cum inſulis, occupata etiam Italiæ parte, ut Longobardi obtinuerunt Inſubriam. Diuiſa igitur ad hũc modum imperio Rom. in † x. reges, id eſt, cõplures, tempus fatale appetijt, ut corniculum paruum, Antichriſtus nimirum, ſeſe

Pennarum & plumarum & unguium aquilæ Rom. ſpoliatio.

Abares Ebræi.

† Aug. l. 20. cap. 23. admonet certũ numerũ poni pro uniuerſis regibus.

proferat. De quo cōmentaria Græcorum Apoc.13. capite: Poſt Iulianum & Valentem & reliquos hæreticos reges, inſtabit Antichriſtus, ut Romanorū rex, paulo ante aduentū ipſius diuiſo Rom. imperio in decē reges, poſtq́ſ ſatis Chriſtianorum fidē blaſphemauerit. Apocal. aūt in nomine ſecundæ beſtiæ cap.13. notis literarū χξς, uel DCLXVI tēpus fatale notauit. Tot enim ſunt anni à conſulatu Ciceronis, quādo Pompeius Rom. Imperator Iudæis eripuit ſceptrū, pontificibus de ſacerdotio & regno certantib. uſq; ad Phocæ iſtius imperium. Tunc enim Phocas, qui parricidio imperium arripuerat, omnē dedit operā, ut Romanorū uoto confirmaretur, & perſuaderet hominib. ceu iure accepiſſet imperiū. Itaq; ut Ro. Papā & populū obſequio deuinciret, conceſsit, ut pontifex Rom. eſſet primas in urbe & imperio toto, & in eccleſia catholica. Iſtū regem Antichriſtū Gregorius epiſcopus Romæ ſubodoratus, ad Mauritiū imperatorē ſcribens de Ioanne ieiunatore, patriarcha Cōſtantinopolitano, qui œcumenicus & uniuerſalis epiſcopus haberi uoluit, Luciferi ſimilem eſſe in ſuperbia, & præcurrere Antichriſtū, diſertè admonuit inſtare tēpus fatale, quo perditionis homo prodiret. Et ad ipſum Conſtantinopolitanū præſulem epiſtola 38. parte quinta regiſtri hæc ſcripſit: Secundum quod ueritas prædixit, peſtilentia & gladius per mundum ſæuit: gentes inſurgunt in gentes, terræ concutitur orbis cum habitatoribus ſuis: terræ dehiſcentes ſoluuntur: omnia quæ prædicta ſunt fiunt. Rex ſuperbiæ propè eſt: & quod dici nefas eſt, ſacerdotū ei pręparatur exercitus. Quia ceruici militant elationis, qui poſiti fuerāt ut ducatū prębe-rent humilitatis. Apocalypſis quidē Ieſu Chriſti 9. cap. uocat angelū abyſſi, & Abadon אבדון Ebraicè, Græce ἀπολλύοντα, quod Latinis ſonat perditionē et perdentē: utq́ Paulus dicit, filiū perditionis & hominē peccati. Vocat Apoc. & regē locuſtarū, quæ natæ ſunt ex fumo putei abyſſi, quē aperuit ſtella cœlo cadēs in terrā. Benno aūt Cardinalis in uita

Latinus, λατεῖνος, nomē Antichriſti: ut Sibylla, Λατινίδος ἔκγονε ῥώμης.

uita Gregorij VII Papę interpretat̃ locuſtas ſacerdotes hypocritas, quales fuere ſectatores Gregorij iſtius Papę. Stellã uerò exponit Sibylla ſermone quinto, loquẽs de Roma, ſicut 8. ca. Apocalypſeos dicit̃ de Aharone põtifice, qui aureos uitulos populo Iſrael proponẽs colendos eccleſiæ perniciẽ ſtruxit. Sic aũt loquitur Sibylla: Veniet cœlo ſtella magna in uaſtũ mare, & inflãmabit pontũ profundũ, ipſamq́ Babylonẽ Italiæ terrã: cuius gratia multi perierunt. Stellę ſunt eccleſię doctores et antiſtites, qui doctrina Chriſti, qui eſt lux uera, & uitæ ſanctæ exemplo prælucere alijs debẽt. Cadunt aũt in terrã & mare, ex cœlo, dum cœleſtiũ rerum meditatione poſthabita, implicant̃ negotijs terrenis. Quod fecit Rom. pontifex maximè, ſi quiſq́ mortaliũ: ueluti Bonifacius tertius, ciuis Romanus. Qui defuncto Gregorio illo uerè magno, impetrauit à Phoca imperatore, idq́ magna cõtentione, ut Roma ſit caput oĩm eccleſiarũ, & Papa Romanus caput omniũ epiſcoporũ. Itaq́ Phocas, ut ſcribit Blondus, ſuaſiõe Bonifacij, ſanctione publica & ad uniuerſum orbẽ Chriſtianũ dimiſſa cõſtituit, ut eccleſiæ Rom. & Romano pontifici oẽs orbis eccleſiæ obedirent. Ex hac radice arbor illa uaſtiſsima donationis Cõſtantini ſuccreuit, quæ inumbrat totã terrã, ut illa quam Nabuchodonoſor in ſomnis uidit: & in ea nidulantur corui, & bubones, & harpyiæ, aliæq́ ferales & inauſpicatæ aues, quæ orbi mala continua pariunt. Nam ex hac imperatoris Phocæ iniuſta conceſsione & impia, & ſacrilega, Papæ ſunt auſi arrogare ſibi titulos, inſignia, et ius atq́ poteſtatẽ Rom. imperatorũ: ut codices pontificij iuris, & Rom. pontificũ acta iã annos nongentos nimiũ uerũ eſſe coarguũt. Tenemus igitur hunc Romanũ regem & imperatorẽ, & alterũ caput aquilæ. Nomen enim habet finitimũ ponto, nempe ſummi & maximi pontificis: geritq́ in capite galerũ canum, uel infulam candidam. Nec obſtat, quòd corona triplex iam auro & gemmis coruſcat. Audiamus igitur & ſequentia.

Sibyllæ non ſemel Romam uocãt Babylonẽ, ut Chriſtus & Petrus.

Caput ſecundũ aquilæ, Papa Romanus.

Mundum ſpectans, ſcelerato pede munera conferens.

Papæ ſtudia, & oſcula pedum.

Mundum ſpectat, qui diuitijs, gloriæ, potentiæ, uolupta tib. & ſtudio bonorū tēporariorū deditus eſt: omiſſa, uel ad modum leuiter adhibita cura cœleſtiū rerum. Id Rom. Papis quadrare intelliget, quicunq; ſaltē conſyderauerit bella inter Chriſtianos iam annis nongētis pleraq; mota eſſe per pſeudopontifices, quędā etiam eorū ductu & auſpicijs geſta. Quis aūt ignorat munera, quæ pede ſcelerato conferuntur? Chriſtiani & ethnici reprehenderunt Caligulam et Diocletianū, prophaniſsimos Rom. imperatores, quod pedes exoſculandos præbuerunt. At Rom. Papa, uicarius (ut ipſe gloriatur) Chriſti, qui Apoſtolorū pedes abluit, magnū beneficiū dediſſe putat, ſi pedē exoſculandū præbeat etiam regibus & Imperatoribus, & coepiſcopis atq; cardinalibus & patriarchis.

Auri quidem habens quàm plurimum, & argentum inimicum.
Plura poſtquam collegerit, & nudauerit (homines) abſumit.

Diuitiæ.

Hoc & Daniel cap. XI adtribuit Antichriſto. Ingentia tributa & uectigalia fuerunt iā annos aliquot eccleſiæ Romanæ. Nā ut portoria, ut uectigalia ex aluminis fodinis & ſalis, atq; ſimilia prætereā, ut decimas in hanc rationē non conferā, ex indulgentijs, ex palliorū epiſcopaliū redemptione, ex annatis, & id genus multis alijs exactionibus, quātæ opes Romā cōuectę ſunt ex omnib. Chriſtiani imperij prouincijs? Vnū duntaxat regnū, quod Conſtātinus magnus, eiusq; pater Cōſtantius feliciter gubernarūt, modica tributa exigentes, uel Galliæ, uel Britāniæ, uel Hiſpaniæ, longè plus annuatim pendit Rom. Papæ, q̄ fuerint oīa eccleſiaſtica et ſacra uectigalia ſummi pontificis Iudęorū, uel Dauide uel Solomone regnante. Iā uerò ſi ad calculos reuocentur uniuerſa, quæ percepit ex Italia, Gallia, Hiſpania, Britannicis inſulis, regnis ſeptentrionalib. Germania, Pānonijs, Illyrico, Sarmatia, excreſcet ſumma, quę ſuperet annuos redditus imperatoris Turcici. Quomodo aūt abſumantur opes eccle-

eccleſiaſticæ, qualis ſit luxus, norunt omnes, qui ſenſu non ſunt priuati.

Et magicorum adytorum myſteria omnia tenebit.

Inter principes Romanos & Conſtantinopolitanos pauculi dediti fuerũt magicis: ut apoſtata Iulianus, et Heraclius. At inter Papas plurimi fuerunt necromãtici, & impijs diuinationibus atq; prẹſtigijs dediti, de quibus conſtat: ut de occultis nihil dicatur. Nam circa milleſimum annum à Chriſto nato, Syluester ſecundus, quem cacodæmon ipſi familiaris, & cui ſe ex fœdere magico dediderat præfocauit, et multi deinceps uſq; ad Gregoriũ ſeptimũ famoſi fuerunt incantatores, qui Iamnẽ & Iambrẽ Aegyptios magos etiam ſuperarẽt. Pręterea falſam religionis doctrinã ueneficiũ eſſe longè nocentius, nouimus ex Paulo, qui pſeudodoctores appellat γόητας, & φρεναπάτας, præſtigiatores, circulatores, mentium peruerſores. *Magus & ueneficus.*

Seruum atq; famulum Deum oſtentans, omnes religiones & numina ſoluet.

Paulus dicit, Sedens in templo Dei oſtentabit ſe, tanq̃ ſit Deus: & eleuabitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut numẽ, uel cultus σέβασμα. Daniel aũt: Faciet iuxta uoluntatẽ ſuã rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus oẽm Deum. Deum aũt Maozim, id eſt, munitionũ, quẽ ignorauerunt patres eius, colet auro & argẽto, & lapide precioſo. Et Dominus in Euangelio: Venient pſeudoprophetæ, qui dicant, Hic eſt Chriſtus in deſerto, in penetralibus: quibus nolite credere. Gregorius ſeptimus, qui Berengariũ negãtem mutari panẽ & uinũ euchariſtiæ in ſubſtantiã corporis & ſanguinis Chriſti, in papis quos ipſe pro nutu ſuo uerſauit, ad palinodiam adegit: dubitauit tamẽ, an Berengarius rectius ſenſerit. Poſteri adorationẽ & feſtos dies etiã legib. pontificijs ſanxerunt. An iſte Deus Mauzim, id eſt, habitans in munitionibus & templis magnificis atq; cœnobijs, (quũ Deus noſter Ieſus Chriſtus agat in cœlis, utq; Petrus ait, oportet illũ tenere cœlum, uſq; ad tempus reſtitutionis *Eleuatus ſupra omne numen.*

omnium) ſeruiat Papæ & illi iuratis ſacrificis, dubitari non poteſt, qui nouit miſſarum nundinationem & abuſus cœnæ Dominicæ.

Et ab initio myſteria erroris omnibus aperiet.
Miſerum inde tempus: quia linum ipſum perdet.

Pſeudopropheta ueritatis diuinæ præconio conficietur.

Quum ultimo tempore multos fore pſeudoprophetas, Chriſtus, & prophetæ, & apoſtoli Petrus, Paulus, Iudas prę monuerint, unum tamen eximiũ notat Chriſtus Dominus in Apocalypſi cap. 16. & 20. ex cuius ore prodeũt tres ranę, quæ decipiũt omnes principes & populos. De quo & Paulus 2. Theſs. 2. Veniet cum omni ſeditione & mendacibus ſignis. Chriſtus aũt eſt unicus magiſter noſter, et ſapientia noſtra, & lux, quæ illuminat omnem hominẽ: & uia, ueritas, uita. Hoc magiſteriũ eccleſiæ catholicæ qui ſibi arrogat, uultq́ non minorẽ fidem adtribui ſuis præſcriptis, q̃ euangelio, & ſcriptis prophetarũ atq́ apoſtolorũ, Chriſti ęmulus eſt, pſeudochriſtus eſt, rex locuſtarum eſt, termaximus ille pſeudopropheta eſt. Miſerũ illud tempus eſt, perſecutionis & tyrãnidis Antichriſtianæ, quo pij cultores Chriſti periclitantur de fortunis, fama, uita, & omnibus rebus: Antichriſto aũt obediẽtes, etiã de anima & æterna ſalute. Quando principes Chriſtiani uel nolunt, uel nõ poſſunt tyrannidem iſtam cohibere: ut Conſtantius, Conſtantinus, Theodoſius, Gratianus, Valentianus & alij pij principes tyrannis & hęreticis obſtiterũt: quando cõcilia & ſynodi nihil agunt, aut agere nihil poſſunt, ut contra Arium, Macedonium, Neſtorium, Eutychem, & alios hoſtes Chriſti & eccleſię actum eſt. Reliquũ eſt igitur, ut ipſe Dominus Chriſtus, eccleſiæ pontifex & rex regũ ſuis armis diuinis eum conficiat, percutiendo impium uirga oris ſui & ſpiritu labiorum ſuorum: donec aduenient iudex totum aboleat corpus hoſtium ſuorum. Linum aũt eum conficiet: nõ bombardæ, ſclopeta, globi ærei, pulueres tormẽtarij, gladij, haſtæ, geſſa, equitatus, peditatus, claſſes: ſed linum, uile organum, & contem-

cõtemptibile. Is enim eſt Dei mos, ut eligat infirma, ſtultaq́ꝫ huius mundi, quibus deſtruat ſapientia & calliditate ſeculari extructa: Placuitq́ꝫ per ſtultitiam prædicationis ſeruare credẽtes, manifeſtare dolos & impoſturas ſeductorum. Ad quod opus ſalutiferæ prædicationis ſeruit linum. Ex lino enim conficitur pannus. Linteis olim uoluminibus monumenta literaria conficiebantur, ut docet Plinius lib. 13. Ex panno etiam hodie fit charta libraria: in qua ſcribuntur, & æreis typis imprimuntur ſcripta prophetarum & Apoſtolorum. Hi libri ueteris ac noui Teſtamẽti ſtrenuè hoc nouiſſimo ſeculo funguntur munere Eliæ & Enoch. Et licet incendiarij librorũ Vulcano tradant plurimos, aliqui tamen ſemper euadunt, & reuiuiſcũt ſubitò. Illi ergo duo teſtes, nouum & uetus inſtrumentum, concionantur, et pugnant prælia Domini contra dirum hoſtem: nimium alioqui ſtertentibus pleriſq́ꝫ uiris eccleſiaſticis. Videmus tamen Euangelio propagato in Germania, Britannia, Pannonia, Sarmatia, & alibi, adeſſe tempus, quo Papiſtici & Romanenſes ualde conqueruntur, imminui potentiam, & opes, & gloriam iſtius regis. Quod in ſpiritu præuidens Sibylla, dixit:

Et quando populus magnus exiſtens potentia dicet, oppidum cadet,
Sciens ſtatim uenturum malum diem aduentantem,
Et tunc lugebunt ſimul, præuidentes tuum
Triſtiſſimum fatum, patres & paruuli liberi,
Heu heu plorabunt ad ripas humidas Tiberis.

Romæ maximè dolebit occaſus iſtius regni pontificij. Nam ibi fixerat אפדנו aphadno, id eſt, prætorium & palatium curiæ ſuæ, ut eſſet mons ſanctus inter duo maria ſuperũ & inferum. Quò diu curſitarunt homines, tanquam ad montem Zion, & ſanctuariũ Dei, & ſedem atq́ꝫ nundinariũ multiplicis gratiæ Dei: unde quæſtus fuit uberrimus Romano populo. Non abs re igitur luget Roma, ut Apocalypſis etiam uaticinatur 18. capite.

Inſignes im probitate Papæ tres.

Poſt hunc tres imperitabunt ultimum diem uel tempus tenentes,
Impleto etiam nomine ſupercœleſtis Dei,
Cuius potentia nunc & in omnia ſecula.

Quemadmodum in regno Perſarum Daniel quatuor duntaxat reges inſignes numerat, ita etiã in regno pontificio Rom. quatuor eximij notantur. Poſt Bonifaciũ namq; tertium, qui à Phoca impetrauit, ut Roma eſſet caput orbis Chriſtiani, ultimo tempore, imminente iam manifeſtatione Antichriſti tres notiſsimę impietatis numerantur Papę. Non igitur unus duntaxat eſt rex Antichriſtus, qui tres annos & dimidium exerceat tyrannidem contra eccleſiam Chriſti: ſed plures eam perſonam gerunt. Tres autem pręcipuè conſyderandi ſunt, è quibus cognitis, licet iudicare de toto regno pontificio. Hi enim impleuerunt nomen Dei, hoc eſt, palàm tandẽ cœperunt ſibi uendicare nomen Dei, & officium atq; uirtutes Chriſti Dei ueri & ueri hominis. Nam in Gregorij ſeptimi declaratione, utq; uocant, inthroniſatione anno milleſimo poſt excidium Hieruſalem, proclamatum eſt, uerum Chriſti uicarium creatum eſſe. Ipſe quoq; Gregorius ſibi aptauit, quæ Pſalmo 2. ſcripta ſunt de Chriſto: & mutauit leges, Chriſti & Dei omnipotentis patris prohibendo matrimonium ſacerdotibus, & reges deturbando è ſolijs ſuis. Qui belli Gog & Magog, quo nullũ unquam fuit uel pernicioſius uel ſceleratius, ſemina ſparſit: familiaris autem ipſius Vrbanus Papa executus eſt. Alter eſt Bonifacius octauus Papa, formidabilis ciuitatibus et regibus. Qui iubileum reuocauit in eccleſiam, omnibus remiſsionem peccatorum quorumlibet promittens qui uenirent Romam ad limina Petri & Pauli. Et ſedens in templo Romæ ornatu imperatorio, exclamauit, Ecce duo gladij hîc: palàm ſibi Rom. regis & imperatoris arrogans poteſtatem. Vt Albertus Crantzius Hamburgenſis eccleſiæ præpoſitus exclamare coactus ſit: Vides ô Petre ſucceſſorem tuum: Et tu ſalutifer Chriſte, tuum cerne uicariũ. Vide quò

aſcendit ſuperbia ſerui ſeruorum tuorum? Tertius eſt Ioannes XXII.

Vnus quidem ſenex exiſtens ſceptra diu tenebit,
Miſerabilis & infauſtus rex: qui opes mundi uniuerſas
Domibus includet ſeruando: ut poſtquam reuerſus fuerit
A' finibus terræ fugitiuus matricida, ueniens
Hæc uniuerſis dans, diuitias magnas Aſiæ immolet.

Hęc Gregorio ſeptimo poſſent aptari, qui antequam Papa eſſet, quatuor Papas gubernauit, miris artibus utens, & pecunias corradens maximas: ipſe uerò pontificatū geſsit annos XII. Sed rectius quadrant Ioanni XXII. qui adhibitus arbiter honorarius & ſequeſter diſsidentibus cardinalibus in electione Papæ, ipſummet elegit pontificem, quum eſſet epiſcopus Portuenſis, & cancellarius regis Francorū. Dicitur autem moriens in theſauro habuiſſe tantum auri et argenti, ut XXV millies milleni aurei æſtimentur. Idem inſtituit ordinem militū ſepulchri Dominici, rem Europæ inprimis pernicioſam, Aſiaticis autem, Saracenis & Turcis quæſtuoſam. Eo tempore quum Midas iſte paupertatem Chriſti etiam & Apoſtolorum deteſtaretur, & Ludouicum imperatorem, optimum principem, indignis modis uexaret, Chriſtus ſeruator dedit hominibus eruditis & pijs apertionem oris, & libertatem ſcribendi atq; loquendi ueritatem contra machinationes papiſticas, uel potius Antichriſtianas. Namque Marſilius Patauinus, iuris diuini & humani peritiſsimus uir, explicuit ſophiſma pernicioſum eccleſiæ & Imperio, in libro cui titulum fecit Defenſor pacis. Guilhelmus etiam Occam, & Michael de Ceſenna, & alij theologi, diuinis ſcripturis dominatū Papæ oppugnarūt. Et Dantes Florentinus poeta ſuū præſtitit officiū. Nicolaus aūt Lyranus Ebraicæ lingue peritus, libros diuinos explanauit, ac ueterem theologiā è cœleſti palatio in eccleſias militantes ſub Chriſto principe reduxit: uir de Chriſti republica meritus optimè. Itaq; rectè ſubijcitur epinicion ple

num cõſolatione, bonaq́ ſpe liberationis obuenturę quan doq́ populo Dei: ut infracta iſtius regis & pontificis Rom. tyrannide Chriſto ſeruire in ſanctitate & uera fide liberum ſit:

Occaſus Papæ, & epinicium, quale Nahum prophetæ ſuper Senacherib extincto. Vana igitur opinio de Antichriſto Hieroſolymis regnaturo.

Et tunc lugebis latè purpureum fulgorem fundens, imperatorum
Lumen ubi exueris, lugubrem ueſtem gerens,
O rex iactabunde, Latinæ proles Romæ.
Non amplius tibi tuæ iactantiæ gloria erit:
Neq; rem geres feliciter, & rectè, aliquando infœlix: ſed inclinaberis.
Namq; gloria legionum aquilam præferentium cadet.
Vbi tunc tibi potentia? Quæ nam terra erit auxiliaris?
Seruitute oppreſſa nefariè per tuam uanam prudentiam?
Omnis enim terræ mortalium erit tunc confuſio,
Quam ipſe Omnipotens ueniens in thronis iudicabit
Viuentium & mortuorum animas, & mundum uniuerſum.

Quum igitur caput ſecundũ Aquilæ, & Rom. alter monarcha tam luculenter iam olim à Sibylla Erythræa ſit demonſtratus, quid hac in parte reſtat, quàm ut indicetur breuiter, quomodo caput dextrum deuorauerit ſiniſtrum. Diuina ſcriptura meridionalem mundi plagã uocat dextram, ſeptentrionalem uerò ſiniſtram, ut Ezech. 16. capite patet: ubi Samaria collocatur ad ſiniſtram Hieruſalem. Roma igitur eſt in dextra parte, quę gradibus 41 diſtat ab æquinoctiali circulo, iuxta Ptolemæi deſignationem. Cõſtantinopolis autem ſeptentrionalis, quæ tenet 43 gradum, CXX miliaribus ſeptentrionalior quàm Roma. Et Conſtantinopolitanum quidem imperium eſſe à Turcis occupatum anno hinc centeſimo, nouere omnes. Sed à Romano Papa deuoratum eſſe, non liquet omnibus: quod iam demonſtrabo breuiter. Ac primùm concordia reſpublicas creſcere, diſcordia autem dilabi et interire, nemo ſanę mentis negat. Falſa etiam religio, quæ iram Dei accendit, uerior eſt cauſa interitus ciuitatum et imperiorum, ut in ſacris libris & hiſtoria uniuerſa cernitur. Si ergo demonſtrauero, Papam ordinem politicũ, ut tam eccleſię doctores, q̃ uulgares homines pareant

Vt Papa imperiũ Conſtãtinopolitanum ſuſtulerit.

pareāt legitimo ſuo magiſtratui, turbaſſe, & eſſe authorem primarium bellorum inter Græcos, & alios Chriſtianos, itemq́ Turcos, Tartaros & Saracenos: nemo poterit negare, quin Papa cauſas & occaſiones præbuerit ruinæ Conſtantinopolitani imperij, & caput ſiniſtrum deuorauerit. Nam Papas Romanos inuexiſſe orbi Chriſtiano religionem pugnantē cum euangelio, & ſcriptis Petri atq́ Pauli, nimis eſt uerum. Vtq́ prætercam diuturnum diſsidium eccleſię Latinę & Grecę de proceſsione ſpiritusſancti, deq́ alijs dogmatibus, ex multis paucula duntaxat attingā. Leo tertius Conſtantinopolitanus, imperij anno XI induxit in animum, ſimulachra è templis ſubmouere, exemplo piorū principum, & ex lege diuina: deq́ re illa conſultauit cū Germano patriarcha Conſtantinopoleos. Qui dehortatus eſt ſummoperè Imperatorem, ne faceret hoc, dicens præcurſorem Antichriſti, & diuinæ incarnationis euerſorem, qui tale facinus ſacrilegum tentet. Perſtitit tamē Imperator in ea ſententia, & imagines ſuſtulit paſsim Conſtantinopoli, & in orientalibus imperij prouincijs. Vnde iconomachus, id eſt, oppugnator imaginū uulgo etiam cognominatus eſt: utq́ idem faceret Gregorius tertius Papa Romæ & in Italia, monet ſuadetq́ placidè. Cui ut obtemperaret Papa, tantum abfuit, ut etiam per uniuerſum orbem Chriſtianum literas miſerit, ne impijs & prophanis huiuſmodi iuſſionibus obedirent. Coegit inſuper cōcilium Romam mille epiſcoporum, in quo anathemate percuſsit Imperatorē. Et per Longobardorum opem occidit partim, partim fugauit Imperatoris adminiſtros in Italia, ut Rauennates, Veneti, & alij reiectis exarchijs, proprios ſibi magiſtratus crearent. Quod Paulus Diaconus, ut rectiſsimum facinus Papæ celebrat: In ſeniori Roma, inquit, Gregorius ſanctiſsimus uir apoſtolicus, & Petri apoſtolorum principis conſeſſor, uerbo & actu coruſcus: qui remouit Romam & Italiam nec non & omnia tam reipublicę quàm eccleſiaſtica

Certamen imperatoris Conſtantinopolitani et Papæ Romani de ſimulachris.

Atqui Paulus apoſtolus, & Pe-

trus, et Chriſtus, uerbo atq; exemplo docuerunt, obedire à Deo inſtitutis magiſtratibus, in rebus licitis.

iura in Heſperijs ab obedientia Leonis & imperij ſub ipſo conſtituti. Hęc ille. An non ſuum roſtrum hîc altè caput meridionale impreſsit in collum ſeptentrionalis capitis: & cornu ex tribus illis unum pepulit ex Italia? Paulopòſt Longobardi pro opera locata præmium condignum acceperunt, ut per Francos à Papa opprimerentur. Sicq; cornu ſecundum excuſſum eſt. Et ut ternio perficeretur regū, quos in uicinia ſua opprimat Antichriſtus, Papa Romanus auitum regnum Francorum, familiæ Merouingorum ademptum tranſtulit in Pipinum maiorem aulæ Francicę, & ipſius poſteros, Hilderico rege detruſo in monaſterium. Et poſtea filium Pipini Carolum magnum Papa Leo creauit Romanum Patritium, & Rom. imperatorem Auguſtum. Quando etiam noua imperij diuiſio eſt facta inter Carolum & Eirenen imperatricem Conſtantinopolitanam, idq; Romæ arbitro & diſceptatore imperij Papa: qua diuiſione eſt & Conſtantinopolis impulſa prorſus in ruinam. De quo ipſum Papam audire operæprecium eſt. Sic enim ſcribit Pius II. ad Morbiſanum Turcorum principem: Quòd ſi baptiſatus eſſes, & nobiſcum ambulares in domo Domini cum conſenſu, nec illi tuū imperium tantopere formidarent, nec nos eis aduerſus te ferremus opem: ſed tuum potius brachium in eos imploraremus, qui iura eccleſiæ Romanæ nonnunquam uſurpant, & contra matrem ſuam cornua erigunt. Et ſicut noſtri anteceſſores, Stephanus, Adrianus Leo, aduerſus Aiſtulphum & Deſyderium, gentis Longobardæ reges, Pipinum & Carolum magnum accerſiuerunt, & liberati de manu tyrannica imperiū à Græcis ad ipſos liberatores tranſtulerunt: ita & nos in eccleſiæ neceſsitatibus tuo patrocinio uteremur, & uicem redderemus accepti beneficij. Auditis & intelligitis uos, Chriſtiani beſtiam loquentem? Beati autem, ſi caueritis.

Tranſeo interim, ut Papa electionem imperatoris Germanici, & confirmationem ſibi ſumpſerit. Gregorij autem

tem ſeptimi Papæ acta ſileri non debent, qui principes & populos ad defectionem ſollicitauit perfidam, ut uni Cæſari Henricho quarto ſexagies bis fuerit in acie pugnandũ collatis ſignis Chriſtianorum, implicuitq; etiam ſe negotijs Conſtantinopolitani imperij. Nam miſsis copijs qui Michaelem imperatorem expulſum reſtituerẽt, adegit Nicephorum, ut ſui defendendi cauſa Turcarum & Saracenorum auxilia ingenti pecuniarũ ui aduocaret. Idem Gregorius ſemina ſparſit expeditionis Hieroſolymitanæ, quæ imperio Conſtantinopolitano & toti Chriſtianæ reipublicæ fuit inauſpicatiſsima. Et tamen ſunt qui dicant, nullũ facinus Romanorũ pontificum laudabilius eſſe. Poſtremò quum Sigiſmundus & alij proceres eccleſiæ Chriſtianæ & reipublicæ toto incumberent pectore, ut fidei & doctrinæ Chriſtianæ ſynceritas & pax repararentur, indicto ad hoc ipſum generali concilio, ad quod Imperator Græcorum legatos miſit, ut ſolida fieret eccleſiarum concordia: nec non Turcis adnitentibus, ut pax fieret: Eugenius quartus Papa crudelibus machinationibus obſtitit, atq; indixit aduerſariũ concilium in Italia celebrandum: ad quod uenit etiam Conſtantinopolitanus imperator & patriarcha, cum multis alijs principibus uiris. Et ita concilij Baſilienſis actiones interturbauit Eugenius per ſuos complices, ut Aeneas tum notarius concilij, poſtea uerò Papa Rom. non dubitauerit ſcribere, eccleſiam ſibi uideri ſimilem pilæ, quæ colluſorum ictibus huc atq; illuc impellit. Delphinus etiã quem exciuit Eugenius, ut concilium Baſilienſe impediret, ſtrages hominũ edidit, multasq; regiones uaſtauit. In ſuo uerò conciliabulo eam unionem fidei & eccleſiæ Græcę atq; Latinæ conſtituit, ut cuiuis nõ ſtupido prorſus & imperito appareat, è re Conſtantinopolitani regni et imperij eam minimè fuiſſe, ac Papam quæſiuiſſe non gloriam Chriſti, aut ſalutem mortalium, aut pacem orbis, ſed primatus ſui am-

plifica-

plificationem. Sic enim unum caput habet: Diffinimus ſanctam Apoſtolicã ſedem, & ipſum pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & uerum uicarium Ieſu Chriſti, totiusq; eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem & doctorem exiſtere: & ipſi traditã eſſe à Domino noſtro Ieſu Chriſto, in beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi uniuerſalẽ eccleſiam, plenam poteſtatem. Tunc uidelicet tempeſtiuum fuit, Græcis, poſtquam libertatem Papæ ſuam tradiderunt, auxilia polliceri contra Turcas, & per cardinalem Iulianum Cæſarinũ Vladislao regi Poloniæ & Hungariæ imperare, ut fœdus cũ Turcis initũ rumperet, atq; in prælio apud Adrianopolim à Turcis cũ XXX millibus Chriſtianorũ occideretur. Quam cladẽ paruo interuallo ſubſecuta eſt expugnatio Cõſtantinopoleos, longè miſerrima. Hæc igitur ſunt tempora luctuoſa, ut uerbis Alberti Cranzij utar, per quæ bicipiti Romanorum aquilæ deſectum eſt caput, cum iam in orientem ultrà non reſpiciat: uix defendere potẽs, quod ei reliquum eſt in occidente.

Nam Turcus dum contemnit adoleſcentiam regis Hungariæ, nec Auſtria ſibi timet, uniuerſam Græciam inuadit, magnam Europæ partem auferens. Hoc Græculi imperatores paſsi, dum regna multa ſcinduntur, exemplo forent Latinis, niſi lethargum iam mortalem induiſſent.

Quoties autem apud Friderichum tertium Rom. imperatorem fieret rerum comploratio, quòd hæc & illa fierent, hæc & illa timerentur, ferunt reſpondiſſe, nec dum eſſe tempus illa emendandi, (uidit nimirũ ſapientiſsimus princeps in ſede Petri ſcaturiginem malorum, ut paulopòſt ipſe Albertus aperiet) Nec tamẽ illo uiuente hoc tempus impletum eſt, & neſcitur, quando implendum. Iam res eò uergunt, ut Alemannia, quæ pridem amiſit uiuacitatem omnem, deinde perdat imperij honorem, rebus inclinantibus ad Gallos, Ergo labor in hoſtes Turcos colluctandi

permane-

permanebit, & ut formidatur, indies augebitur: maieſtas imperij decidet. Et facile eſt toleratu, ſi non perſeuerat incolumitas & libertas à Turco: quæ & ipſa uocatur in diſcrimen. Hac ergo tempeſtate, per annum quinquageſimum tertium, Romana pridem biceps aquila, facta eſt auceps, ſi caput ei reliquum ſit: poſteaquam Conſtantinopolitanum orientis deperijt, capta per Turcum eius imperij ſede: occidentale ſe nuſquam niſi intra uiſcera commouet, abſumens uires in domeſticos, quas uerteret iuſtius in exteros. Formidandumq́ eſt, ne noſtris criminibus prouocatus & iratus Deus longius ſe retrahat, & propter eccleſiam non rectè ambulantem, in altum, ut olim à ſynagoga, regrediatur: pro indubitato habentibus nobis, quia ipſe iudicat populos, gubernans mundum omnem. Etiamſi hoc impij non credant: qui uerò credunt, non hoc agunt, ut properet Deus miſericordiam ſuam ſuper ſuos. Hæc Albertus Crantzius in Saxoniæ lib. XI. cap. 33. 34. 35.

MAHVMEDICVM IMPERIVM.

ACCEDAMVS igitur ad demonſtrationem tertij capitis grandioris, quod turbauit, hodieq́ turbat orbem maximè. Et quia hic locus attingit defectionem populorum à fide Chriſti ſeruatoris, quod opus iudicij diuini terrifici ſed iuſti & æqui, non minus eſt quàm repudiatio Iſraelitici populi, quondam eccleſię & peculij ſacroſancti Domino Deo: cenſeo magna religione & diligentia Mahumeticæ perſuaſionis & imperij originem atq; progreſſum oſtendi oportere. Si enim Paulus doctor gentium, ſapientia præſtantiſsimus, & organum Chriſti electum, ſtupefactus in excæcatione & repudiatione unius gentis Iudaicæ, exclamat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, q̃ incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius: fieri nõ poteſt, quin homines imperitiores ualde con-

turbentur in apoſtaſia iſta horribili Chriſtianorum, à fidei orthodoxæ & catholicæ integritate, idq́ prætextu nominis Chriſtiani: ut neſciant multi quò ſe recipiant, aut falſa & impia pro ueris & ſanctis Deoq́ placitis amplectantur.

Rationes conſyderandæ in Mahumedicæ ſuperſtitionis progreſſu, & defectione Chriſtianorum.

Vtiliſsimum eſt igitur, animos cõfirmari rationibus ijs, quas Paulus inſpiciendas proponit in diſputatione de repudio ſynagogæ Iudaicæ, 9. & 10. & 11. cap. epiſtolæ ad Romanos. Prima quidẽ eſt, certitudo atq́ firmitas diuini uerbi: ex quo iudicare oportet de maximis quæſtionibus illis, quæ Dei gloriam & hominum ſalutem attingunt. Altera eſt, æternum & immutabile conſiliũ Dei: qui ſemel decreuit, eos habere amicos & conſortes & filios & heredes æternæ beatitudinis, qui credunt in nomẽ Ieſu Chriſti filij Dei & ueri hominis, & eos quidem ſolos. Tertia ratio continet æquiſsimas leges diuinæ prouidentiæ, quæ ſapientiſsimè & æquiſsimè omnes res gubernat, citra perſonarum reſpectum: ut nulli prorſus hominum iniuria fiat: neq́ Deus ſit author & cauſa efficiens malorũ: ſed homines culpa ſua, & libero uoluntatis arbitrio Chriſtum ſeruatorẽ omnium ex Dei mera gratia propoſitum, & legem diuinam repellentes, mala ſibi accerſant. Rurſum uerò ea cernitur principis atq́ parentis omnium Dei ſapientia & bonitas, ut ex malis, quæ homines impulſore cacodęmone patrant, bona eximia eliciat, & ſingula dirigat in finem optimum. Quibus ritè conſyderatis, & in Iudæorum excæcatione atq́ reprobatione, & in apoſtaſia defectioneq́ populorũ tot, qui ex Iſraelitis & gentilibus in unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam Chriſti per ſanctum ſpiritum congregati, per Mahumedem, & alios ſectarum principes ſeducti, uarias in hæreſes & conciliabula dilapſi ſunt: agnoſcere atq́ confiteri oportet, quòd omnia ſint ex Deo, & per Deum, & in Deo: cui honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Ex uerbo Dei autem certum & indubitatum habemus, unam ueram & Deo probatam eſſe religionẽ Chriſtianam,

ſtianam, unam eccleſiam, unam doctrinam. Reliquas omnes religiones, & cœtus, & doctrinas aſpernatur Deus, & improbat, & odit: licet permittat certis ex cauſis oboriri, et progredi longius, & conſiſtere aliquandiu: eisq; abutatur, imò utatur illis rectiſsimè, ut finis ultimus liquidè probat.

Ex uerbo etiam cognitum & exploratum habemus, Deo principi, qui uerbo ſuo æterno condidit mundum, eiusq; partes uniuerſas & ſingulas optimè gubernat, nihil eſſe inter humanas res, ipſius tamen conſilio inſtitutas & ordinatas gratius, quàm politias & ciuitates cœtusq; hominum & concilia iure ſociata. Eas uerò qui regunt & conſeruant ciuitates prudenti conſilio, & labore, atq; periculis, amari ab ipſo rerũ ſupremo gubernatore, & defendi, & prȩmijs ampliſsimis affici: dirisq; ſupplicijs perdi eos, qui legitimo aduerſantur magiſtratui. Et cõtrà nihil eſſe magis inimicum Deo, quàm falſas religiones atq; doctrinas, & iniuſta imperia, tum ſacri libri utriusq; Teſtamenti nos docent copioſe, tum hiſtoria Eccleſiæ domeſtica & extera. Sed quum in Romana monarchia horum omnium ſint documenta & exempla illuſtria, agè Spartam hanc, quam ſumus nacti, potiſsimum exornemus. Eſtq; tertij capitis & reliquarum duarum pennarum aquilæ demonſtratio, ab imperio Iuſtiniani deducenda.

Iuſtiniani acta pro incolumitate religionis Chriſtianæ & imperij.

Is enim urbem Romam à Totila incenſam recuperauit, & Africam atq; alias prouincias imperio iterum addidit, & gentes barbaras feliciter deuicit. Operam quoque dedit, ut populi Rom. imperio ſubiecti bonis legibus regerentur: adhibitis in hoc uiris doctis, qui ius Romanum ad præſcripta Chriſti principis emendarent, & in ordinem aptum digererent: ut codex ipſius Iuſtiniani, & Conſtitutiones prolixè oſtendunt, in primis decretum illud religioſiſsimum de ueteri iure enucleando. Maximè uerò incubuit in hoc, ut omnes populi uerum & ſempiternum Chriſtianiſmum colerent. Tertio namq; anno imperij ſui, legem promul-

gauit, ut non eſſent in imperio Rom. pagani, neque hære-
tici, ſed ſolum orthodoxi Chriſtiani, datis inducijs menſi-
um trium ad conuerſionem & reſipiſcentiam. Quod Pau-
lus Diaconus prodidit in hiſtoria Rom. Conſtitutionem
quoq; ſapientiſsimam edidit, ſimulq; pientiſsimam, quo-
modo Ebræos legere oporteat ſacros libros. Anno etiam
XXIII. Imperij ſynodum uniuerſalem coegit in urbe im-
peratoria Conſtantinopoli, tum contra hæreſes alias, quæ
in ſuperioribus ſynodis damnatæ repullulare cœperant ne
gligentia epiſcoporum & principum, tum maximè contra
hæreſes, quæ ſub titulo ſpecioſo Adamantij Origenis fue-
rant excitatæ. Et quàm fuerit diligens optimus princeps, ut
idonei præſides ecclesijs præficerentur, & cõſeruaretur ho
neſtas atq; ſanctitas ſacerdotum, quia pontifices multi iam
tum prolapſi fuerant in nefandas libidines, diuinæ illius im
peratoris ſanctiones docent. Itaq; Iuſtiniano poſt Con-
ſtantium & Theodoſium Chriſtianiſsimè imperante, non
modò imperium auctum eſt acceſsione populorum & pro
uinciarum, ſed etiam Chriſtiani regni pomeria longè la-
teq; promota ſunt. Heruli namq; fidem Chriſtianam rece-
pere, & Hunnorum centena millia cum Boazer uidua re-
gina ſua, & Hunni ad Boſphorum, & Tanaidis accolæ,
itemq; Caucaſi accolæ, & Axumitę Aethiopes, & Choſro-
es rex Perſarum, & alij. Hęc autem quum ad hunc modum
rectiſsimè geruntur, antiquus ſerpens, qui prima rerum o-
rigine molitus eſt per fœminam exitium generi humano,
etiam hoc tempore per Theodoram imperatricem ſtruxit
perniciem Iuſtiniano & imperio, & eccleſiæ. Nam pſeudo
epiſcopi quidam retinentes impium dogma Dioſcori &
Eutychis, damnatum in ſynodo Chalcedonenſi, & proſcri
ptum ex eccleſia, ut poſſent uenenum ſuum latius diffun-
dere, in ſuã perſuaſionem adduxerunt infelicẽ iſtam Iuſti-
niani coniugem Theodoram: quæ tamen licet apertè pa-
trocinaretur illi dogmati, & ſollicitaret crebrò Imperatorẽ,
effice-

efficere non potuit, quin acta Chalcedonenſis concilij tueretur, & hæreticis opinionibus ſtrenuè obſiſteret. Damnauerat autem concilium Chalcedonenſe à Martiano Imperatore coactum, DCXXXVI Patrum, eos qui dicerent unam duntaxat in Chriſto eſſe naturã. Quod cõcilij decretum repudiantes διακρινόμενοι, id eſt hæſitãtes, in XII ſectas dilapſi ſunt, iíq; rurſum totum orbem ſectis repleuerunt.

Vltimo uerò tempore optimus princeps captus eſt pharmacis ſubtilioribus, quæ Seuerus Antiochiæ patriarcha illeuit, aſſerens Domini Ieſu Chriſti corpus eſſe prorſus incorruptibile, nulliſq; affectionibus obnoxiũ, quibus hominum corpora obnoxia ſunt. Ita enim in Chriſto, uerbum Deum eſſe factum carnem, ut una ſit natura ἄφθαρτος incorruptibilis: quum ſint in uerbo filioq; Dei incarnato naturę duæ unitæ in una perſona, & nõ confuſæ aut permixtę, aut mutatæ, diuina & humana: quarum utraq; ſuas retinet proprietates: eſtq; Chriſtus θεάνθρωπος, uerus & perfectus homo, nobis cõſubſtantialis, extra omnem tamen peccati noxam, & Deus uerus patri Deo ὁμοούσιος, id eſt, conſubſtantialis, ut catholica docet eccleſia. Deinde phantaſiaſtę illi, & noui Manichæi, ſingulatim ademerunt Chriſto proprietates corporis humani & animæ, aſſerentes eum nõ eſuriiſſe, non ſitiiſſe, non delaſſatum, non ediſſe ut corpus haberet alimentum, non dolores ſenſiſſe dum crucifigeretur, non mortuum eſſe, non ex mortuis reſuſcitatum, non triſtitia eſſe perturbatum, & reliqua: ſed hæc iuxta œconomiam & diſpenſationẽ aſsimilaſſe. Orthodoxos interim & catholicos proſcindebant, & ſcurriliter & impiè appellantes phtartolatras, & ſcenolatras, & Melchitas: quippe qui corruptibile quiddam colerent ex regum edictis, & non Dei. Quod quid aliud fuit, quàm Chriſtum nõ minus diſſoluere, quàm Arius fecit negando Chriſtum Deo patri cõſubſtantialem? Vel potius quid aliud fuit, quàm totum Chriſtianiſmum euertere? Sic enim Paulus argumentatur 1. Corinth. 15.

de reſurrectione Chriſti à mortuis differens: Atq; iſtud peſtilens dogma Monophyſitarum et Aphthartodocitarum, ita corrupit Iuſtinianum, ut Eutychium orthodoxum patriarcham Conſtantinopolitanum è cathedra eccleſiaſtica exturbaret, quia noluit impietati acquieſcere. Idem accidit etiam aliĳs orthodoxis epiſcopis. Quin legem ſcripſit Iuſtinianus, qua omnibus ſubditis imperio Rom. eam perſuaſionem obtrudere uoluit. Sed capitali morbo implicitum Prouidentia diuina cohibuit, & ut reſipiſceret admonuit: ſcriptaq; palinodia, ut orthodoxia reduceretur, & Eutychius, aliĳq; conſtantes epiſcopi reſtituerentur, miſericordiam conſecutus feliciter obdormiuit in Domino. Illi autem phantaſiaſtæ poſt exceſſum Iuſtiniani contemptis epiſcopis catholicis, & relictis eccleſĳs, innumera ſibi conſtituerunt conciliabula: & quiſq; docuit atq; credidit, ut ipſi placuit, & ut rectum fuit in oculis ſuis. Vnde ἀκέφαλοι dicti ſunt, id eſt, carentes capite. Neque enim Chriſtum caput tenuerũt, neque ulli magiſtro ueritatis, aut eccleſię ſyncerae ſubeſſe uoluerunt. Et Iacobus quidam Syrus, infimæ ſortis homuncio, (unde Zanzalus cognominatus eſt) doctrinam illam uæſanam propagauit, dicens Chriſtum nequaquam à Iudæis eſſe confoſſum uulneribus, & trucidatum in cruce, ſed alium ſubectum, quem Iudæi crucifixerunt, putantes illa ſe inferre Chriſto: qui duntaxat ſpectator inuiſibilis & incorruptibilis præſtò adfuerit. Et hoc dogma impium, negans perfectam in Ieſu Chriſto humanitatem, accedens ad Arianum dogma, quod negat perfectam in Chriſto diuinitatem, quorum utrunq; proceres multos in eccleſia tunc temporis infecerat, aperuit ianuam maximè, uel potius procreauit Mahumedicorum delyrium: ut codex Alcorani abundè arguit ſtudioſo lectori. Et hæc perferens orbis Chriſtianus, imò applaudens, & complectens tanquam oracula cœlitus miſſa, nónne dignus fuit, ut pſeudochriſtum acciperet, qui operaretur efficacem

Iacobitæ, unde Mahumedicum delyrium.

cem

cem errorem? Proxima illi cauſa, quæ peperit Mahumedem, & alterum caput peſtilens Romanæ monarchiæ, de quo antea etiam locutus ſum, fuit contentio de primatu eccleſiæ inter epiſcopum Romanum & Conſtantinopolitanum. Imperante namque Iuſtino, poſt Iuſtinianum, Eutychio ſucceſsit in pontificatu Ioannes Ieiunator, uel etiam Eleemoſynarius cognomento, mirificus hypocrita: qui obtinuit in ſexta ſynodo Cõſtantinopolitana, ut epiſcopus nouæ Romæ & Imperatoriæ ſedis epiſcoporũ omniũ eſſet princeps. Quę ambitio, & primatus in eccleſia Chriſti affectatio, tentauit Apoſtolos quoq;, ſed repreſsit eam tunc Dominus Chriſtus ſeuera admodum ſententia: Non ingreſſuros diſcipulos in regnum cœlorum, niſi deponant hanc excellentiæ cupiditatem. Et edixit, in eccleſia & regno Chriſti non eſſe præſidentium faſtigia, ut in ethnicorum politijs: non ἀρχὴν, id eſt dominatum, ſed miniſterium & pædagogiam. Cæterùm ſatan non deſtitit moliri primatum, & perſonam Antichriſti, qui ſibi poteſtatem ſumeret plenam, ut uocant, & ſummam, & infinitam gubernandi Eccleſiam pro ſuo arbitratu: ſed occultius egit Apoſtolorum remporibus, & myſterium iniquitatis operatus eſt, Paulo teſte: per Samoſatenum autem Paulum, Antiochiæ antiſtitem, & Manem Perſam proſiluit poſtea impudentius. Nam Paulus ingenio & eloquentia, & diuitijs magnis elatus, eminentiam quæſiuit, & naturam diuinam in Chriſto negauit, uirus illud in Arium transfundens. Manes autem magicis actibus inſtructus, & libris Scythiani Saraceni, uel ut alij dicunt, Abrahmanis & Indi, & diuitijs ipſius magnis inſtructus, non modò haberi uoluit excellens Chriſti diſcipulus, ſed etiam ſpiritus paracletus: idemq; ueram Chriſti humanitatem negauit. Quod Dioſcorus & Eutyches, & Seuerus, & Iulianus, & Iacobus poſtea ſecuti ſunt, uerbis duntaxat mutatis. Atque hæc

Contentio ambitioſa de primatu in eccleſia.

tria

tria capita ſummæ impietatis, quæ Chriſtianiſmum labefaciunt, uel potius euertunt, abnegatio diuinitatis Ieſu Chriſti, & abnegatio ueræ & perfectæ humanitatis Chriſti, & primatus atque ſuprema poteſtas eccleſiæ catholicæ in epiſcopo quopiam uel Romano, uel Conſtantinopolitano, ſimul inualuerunt, & ingens agmen hæreſum atque omnium malorum inuexerunt in Chriſtianum orbem, quo tempore imminuit Romanæ monarchiæ diuiſio. Cuius diuiſionis & pœnæ iuſtæ finem optatum & fructum ſperamus: ut ſatis conuicta & caſtigata Chriſtianorum populorum defectione fœdiſsima, reditio fiat ad principem Chriſtum, repudiato Mahumede, & omnibus ſectarum ante ſignanis. Atque hæc de conſilijs Dei arcanis prius, nunc uerò patefactis magna ex parte, per geſtas res, inſerere uiſum eſt, ut lectorem pium excitarem ad attentionem acriorem, quum origines Mahumedicæ ſuperſtitionis & imperij, & papiſtici dominatus exponendæ ſunt. Quæ ſic habent.

Iuſtinus imperator. Iuſtiniano defuncto ſucceſsit Iuſtinus, ex filia nepos: quo imperante, natus eſt Mahumed: & contentio de primatu eccleſiæ, quum multis uitijs ille princeps corruptus ſacerdotia etiam haberet uænalia, incruduit uehementius inter Ioannem Conſtantinopolitanum, & Pelagium Papam Romanum. Et quia multis res ignota eſt, quæ ad omniũ Chriſtianorum pertinet notitiam, non pigebit me altius etiam tragœdiam infauſtiſsimam explicare. Imperante Anaſtaſio impio Thietrichus Gotthorum rex, qui Romam & Italiam titulo Conſulis Romani gubernabat, annuente Zenone Imperatore, licet Arianus eſſet, impulit tamen Hormiſdam Rom. pontificem, ut prouincialem ſynodum Romæ celebraret contra Eutychianos hæreticos, quibus Anaſtaſius patrocinabatur. Eaq; damnata hæreſi, legatos miſit Hormiſdas tum ad Imperatorẽ, tum ad Ioannẽ patriarchã Conſtan-

Conſtantinopolitanum, ut crederent atque profiterentur duas in Chriſto Ieſu naturas perfectas, humanã pariter atq; diuinam: ſed nihil penitus effecit Romanus põtifex, repulſus ab Anaſtaſio contumelioſè, quòd imperatorum ſit imperare, non pontificum facere imperata. Eo perempto fulminis ictu, Iuſtinus auunculus Iuſtiniani adeptus eſt imperium non ſine artibus: & ut nouus princeps, tum regi Thietricho adulatus eſt, tum Romano pontifici, hortans eum, ut ſedis Apoſtolicæ authoritatem confirmaret, ac pacem eccleſiarũ exquireret. Iuſsit inſuper Iuſtinus, Seuero Antiocheno linguã radicitus excindi, qui Eutychis & Dioſcuri blaſphemiam renouauerat, duntaxat mutatis uerbis. Romę etiam Manichęorum repullulantiũ hęreſis oppreſſa eſt. Seuerinus autem Boethus, uir doctus & pius, Romæ Cõſul, oppugnauit ualidius hæreſim Arianam ſcriptis editis, cui Thietrichus tyrannus addictus erat: eamq; ob rem interfectus eſt iuſſu Thietrichi. Cæterùm Ioannes in pontificatu Romano ſuccedens Hormiſdę, Arianos cœpit expellere, & eccleſias eorum tribuere catholicis Chriſtianis. Quę res Thietrichũ ita irritauit, ut miſerit Ioannem pontificem cum alijs nonnullis legatum Conſtantinopolim, ubi ſynodus prouincialis agebatur, in qua Seuerus & alij conſortes hæreſeos damnati ſunt. Eiusq; legationis mandata Thietrichi regis fuere, ne quid grauius decernatur in Arianos, néue cogantur ab inſtitutione ſua diſcedere: adhibitis etiam minis, ſe per Italiam ſæuiturum eſſe in homuſianos, qui iuxta Nicæni cõcilij decreta confitentur Chriſtum eſſe Dei filium conſubſtantialem patri, ſi Arianos diuerſa omnino ſentientes inſectari pergant. Itaq; temporum conditio Iuſtino & alijs ſuaſit, ut Ariani expulſi reſtituerentur, eisq; permitteretur uiuere ſuis legibus & inſtitutis. In ea uerò ſynodo Ioannes Rom. pontifex, & eo tempore legatum regis agens, inuitatus, ut iuxta Epiphanium patriarchæ Conſtantinopoleos aſsideret, id recuſauit facere: & *Phariſaicũ certamen inter epiſcopos Chriſtia*

N ſedis

nos de primo accubitu.

ſedis Romanæ prærogatiuam ita aſſeruit, ut in throno ſupra Epiphanium collocaretur. Eaq; pertinacia obtinuit, ut Iuſtinianus poſtea in ſcriptis imperatorijs deferre aliquid excellentiæ Rom. præſidibus uideatur: ut literæ ad Ioannem in primo libro Codicis oſtendunt. Dieco etiam Anthemio, & ſuffecto Mena in epiſcopatu Conſtantinopoleos, Agatho Romanus impoſuit ei manus: quod hactenus nunquam factum erat, & cum Mena præſuit ſynodo Conſtantinopolitanæ. Vbi uerò exceſsit è uiuis Iuſtinianus, & Iuſtinus uæcors imperium obtinuit, Ioannes patriarcha Conſtãtinopolitanus primatum ad ſe retrahere conatus eſt: & effecit, ut ſynodus Conſtantinopoli coacta decerneret, eum eſſe œcumenicum & uniuerſalem epiſcopum, & eccleſiam urbis, in qua ſedes Imperij eſſet, principem inter omnes Chriſti eccleſias. An non ſuperbia hęc epiſcoporum, & ſtoliditas principum & ſocordia Chriſtiani populi talia ferentis, poſtulauit Mahumedem flagellum Dei, quod uitia eccleſiæ caſtigaret? Ioanni autem, & iſtis decretis ſeſe oppoſuit Romanus pontifex Pelagius: longè autem religioſius negotium Chriſti & eccleſiæ egit Gregorius magnus: ut ipſius epiſtolę ad Mauricium imperatorem, & ipſum Ioannem Conſtantinopolitanum, & ad epiſcopos alios teſtantur. Mortuo uerò ſanctiſsimo pontifice Gregorio, Bonifacius tertius Papa obtinuit apud Phocam parricidam, ut Rom. Papa eſſet uniuerſalis epiſcopus omnium epiſcoporum & eccleſiarum: uindicans homini, quod ſolius Chriſti Ieſu proprium eſt, ut caput eccleſiæ catholicæ exiſtat, ac primatum teneat in omnibus. Porrò Choſroes Perſarum rex pulſus regno ſuo per Varamum præfectum copiarum, confugit ad Mauricium, Chriſtianum imperatorem. Qui memor officij Chriſtiani, & incertę ſortis omnium mortalium, ex lege Chriſti principis cum exule rege ita egit, ut in eadem fortuna uoluiſſet ſecum agi. Non enim tantum ut confugientem ad ſe exulem ſuſcepit,

ſed

ſed etiam ut amicum & filium arrogauit: adhæc regijs donis magnificè ornatum, exercitu ſuo reduxit in regnum: ſimul adiungens comites epiſcopos doctrina & pietate claros, qui Chriſtianam religionem inſtillarent. Itaq; beneficijs Chriſtiani imperatoris non modò imperio Romano, ſed etiam Chriſtianæ eccleſiæ amicus factus, in throno ſuo conſidens, gratitudinem perpetuam his uerbis promiſit: Diei huius, rex Choſroes, perpetuò te meminiſſe oportet, atq; hoc in animo ſemper uoluere, quòd Romani tibi regnum Perſarum dono dedere. Fidem quoque Chriſtianam, oblatis uaſis in templa Chriſtiana, profeſſus eſt. Eodemq; tempore Naaman Scenitarum princeps, qui homines ſua manu idolis mactare ſolitus fuit, aqua luſtrali ritè tinctus, nomen Chriſto dedit. Quanquam Saraceni antea Mauiam reginam Chriſtianam & epiſcopos habuerunt.

Paulus Diaconus dicit Narſetem ſic admonuiſſe Choſroem.

Porrò quum Phocas Mauricio interfecto, literis indicauit ex more, Perſarum regi, ſe Imperialem dignitatem conſecutum eſſe: ille in uindictam Maurícij, qui reſtituerat eum in regnum, totus exarſit: ruptoq; fœdere, bella orbi uniuerſo funeſtiſsima repetijt. Saraceni quoq; inuaſerunt Aegyptum, prouinciam Romanam. Iudæi quoq; temporum infelicitate abuſi, odium ſuum capitale in Chriſtianos effuderunt: maximè Antiochię, ubi diſcipuli Domini Ieſu primùm Chriſtiani dicti ſunt. Acephali autem, quorum fuit coryphæus Seuerus Antiochenus patriarcha, & poſt eum Iacobus Syrus, hæreſes diffuderunt plurimas, agmine facto paſsim eccleſiam Dei ſanctam infeſtantes.

Penna 7. Choſroes rex Perſarum.

8 penna Saraceni.

Et ut ſumma conficeretur omnium malorum in orbe, Mahumed nuncium Dei ſeſe appellans, quum Deus illum non miſerit, nouitiam legem dolis & ferro inuexit in mundum, & in prouincijs quondam Romanis imperium crudele condidit. Cuius res attingam ſummatim, quatenus ad inſtitutam pertinere demonſtrationem iudico, nam ui-

3. caput aquilæ Mahumed.

tam & doctrinam pſeudoprophetæ iſtius multi copioſius tradiderunt. Vixiſſe Mahumedem annos LXIII. & anno ætatis quadrageſimo prophetam eſſe datum, Arabibus Iudæis partim, partimq́ idolorum cultoribus, & partim pſeudo chriſtianis, probatiſsima chronica Mahumedicorum tradunt. quod hiſtoria orientalis, quam alij Nicephoro, alij Paulo Diacono adſcribũt, illuſtrat: Anno, inquit, uigeſimoprimo imperij Heraclij, moritur Muhummath Saracenorum, qui & Arabum princeps, & pſeudopropheta, promoto Ebubezer cognato ſuo ad principatũ ſuum. Ac poſtea: Tenuit hæreſis eius partem Eremi, poſtremò per bellum. Nam primò quidem occultè X. annis, & bello decem ſimiliter, manifeſtè nouem. Intra hos limites origo & mors eius uiri continetur: qui natus ignobili proſapia, & orphanus in paupertate extrema educatus, ſiniſtris tamen auſpicijs & per malam fortunam euectus, religionem inuexit uniuerſo mundo pernicioſam & abſurdam, initio quidem uerſutia & dolis, maximè autem poſtea ferro & tyrannide. Quæ uſq; in hunc annũ à Chriſto nato MDLIII, à ſua uerò origine milleſimum lunarem, quem Arabes obſeruant, ſubinde incrementa maiora indies cæpit: ut nulla unquam lex, & religio, extra Chriſtianiſimum, diutius & latius in mundo imperitauerit. Natus eſt igitur Mahumed (Iuſtino principe uitioſiſsimo imperãte, & Ioãne eleemoſynario, uel potius mancipio uanæ gloriæ Conſtantinopoli ſibi uendicante primatum in eccleſia Chriſti catholica, circa DLXVIII annum à Chriſto nato) ex Abdalla Iſmaelita, & matre Emina, cultoribus idolorum, quæ & ipſe Mahumed coluit, ut in Alcorano confitetur non ſemel. Natus eſt autem, mortuo patre poſthumus, Mechæ oppido felicis Arabiæ, & emporio celeberrimo: in quo colluuies tum agebat Iudæorum, Chriſtianorum, Iacobitarum & Neſtorianorum, & paganorum, colentium præcipuè Venerem, Dianam, & Palladem, Ethnici tamen præualebant

ualebãt qui ad templum in urbe media & turrim nomine Alquibla conuenientes idola colebant, ſibi eum cultu eſſe traditum à Cedar & Iſmaele, & ipſo Abrahamo aſſerentes. Vtq́ſectæ uariæ in urbe Mecha tum regnabant, ita etiam omne genus flagitiorũ, quæ ex orbe toto peregrini mercatores (ut fieri ſolet in emporijs & nundinarijs) congeſſerant uelut in ſentinam quandam, itidem exultabat impunè. Et in hac urbe longè corruptiſsima educatus nouæ religionis architectus, uitia imbibit, & abſurdas de religione perſuaſiones. Adoleſcentem Mahumedem auus ipſius tradidit cuidam ciui Mechenſi cognato, ut camelis circunuectaret mercimonia in Arabia, Syria, Aegypto, Chaldęa, & Perſide. Qua occaſione homo uerſutus, didicit etiam regionem ſitus, & mores, & religionum diuerſarum dogmata. Et hæc fuere progymnaſmata prophetæ iſtius. Porrò quum eſſet corpore ualido, & formoſus adoleſcens, Hadeiga, uxor patris eius heri, cuius famulum agebat Mahumed, fœmina diues & præpotens, capta illius amore nimis etiam familiariter cum illo agere ſolita fuit. Nec multo pòſt mortuo marito, non ſine ueneni dati ſuſpicione, Mahumed heram illam uxorem ducit, & in ampliſsimas diuitias ſuccedit. Quæ res non paruum adtulit robur nouæ ſuperſtitioni propagandæ. Pleriq́; autem ex Chriſtianis ſcriptoribus hiſtoriæ Mahumedem tradunt morbo Herculio fuiſſe obnoxium, & ut morbum tegeret, finxiſſe, hunc ad modum ſe affici ab archangelo Gabriele, qui cœleſtia nuncia ſoleat adferre ad illum. Quæ ut in homine dedito rebus uenereis, & nimio uino, facilè inueniunt fidem: ita ipſe conſyderans euentum rerum, & quæ legimus de enthuſiaſtis, quæq́; noſtra ætate facta nouimus, magis crediderim ſpiritus immundi operationẽ hanc fuiſſe: qui corpus infelicis mancipij ſui torſit, & non tantum animum dolis atq; imposturis impleuit, quibus mundum ſynceri Chriſtianiſmi perteſum ſeduceret. Atque

 hæc

hæc incidunt in penultimum annum Tiberij imperatoris, nam XV annorum adoleſcens in domum Hadeigæ peruenit. A quo tempore nunc agitur annus milleſimus, iuxta rationem Arabum. Dixit autem Mahumed ſuis familiaribus & ſecretioribus amicis, poſt mille annos doctrinam ſuam, ubi fuerit patefacta inter Chriſtianos, ut publicè de illa diſputetur, interituram eſſe. Quod uaticinium citò rebus impleat gratia & uirtus noſtri Domini Ieſu Chriſti. Cæterùm quum Mahumed accepiſſet, in ſpecu natum eſſe Chriſtum, in ſpecu montis Sinai Moſen uidiſſe Dominum, uiroſq; ſanctiſsimos in ſolitudine uerſatos eſſe, adijt ipſe quoq; frequenter ſpecum, haud longè diſtantem ab urbe. Vbi uacans ieiunijs & precibus, habere ſe diuina colloquia fingebat. Vnde multa capitula Alcorani titulo præferunt, quòd in ſpelunca edita ſint. Sunt qui tradunt in ſpelunca eruditum fuiſſe à duobus fabris ferrarijs, qui doctrinæ Chriſtianæ utcunq; periti fuerunt. Domi etiam ſuæ oratorium & propheticam ſcholam conſtruxit, ibi cum ſectatoribus ſuis diu noctuq; orans & pſallens, & differens de rebus diuinis, unum eſſe Deum creatorem cœli & terræ, miſericordem, ſapientem, iuſtum, omnipotentem: qui præmijs etiam paradiſi afficiat bene agentes, ſupplicijs autem perſequatur peccantes, & id genus alia. Quamobrem commouit urbem Mecham, ut bona pars ciuium accederet illi. Et in primis Iudęorum nationi placuit, quòd ſimulachrorum cultum reprehenderet, multaq; diceret legi Moſaicæ conſentanea: ratæ ſe tandem Meſsiam inueniſſe. Nam ſæpiſsime icti Iudæi, & deluſi turpiter per pſeudomeſsias, adhuc tamen non ſapiunt: ut Dominus Chriſtus eis prædixit. Fit igitur ad eum concurſus Iudæorum, qui dederunt etiam ei decimas: ut eo tributo ingentes acquireret opes. Adhæc filias ei principes Iudæorum dant uxores, & ſuggerunt dogmata præceptaq; uiuendi, ut lex noui Meſsiæ tanto eſſet abſolutior.

Si uerus eſt uates Mahumed, tum inſtat Alcorani ruina.

His

His accedit Sergius monachus eiectus Conſtantinopoli ob hæreſim: qui Mecham ueniens, & factus Mahumedi familiaris, imbuit eum Chriſtianiſmo, ſed non ſyncero: quippe Neſtorianus, & Iacobita, neq; de Chriſti diuinitate, neq; de humanitate rectè ſentiens. Ab illis autem magiſtris egregiis ita formatus, cœpit propheticam doctrinam rhythmis Arabicis explicare: unde uæſani poetæ nomen uulgò adeptus eſt. Deinde chartas illas exhibere ſectatoribus recitandas, decantandas, ediſcendasq; tradidit: ac poſtea repoſuit in capſellis, quas uocant arculas Teſtamenti. Quanquam alicubi uates inconſtantiſsimus dicit, ſibi librum legis totum eſſe diuinitus allatum. Porrò auctis iam uiribus, legem profert ceu à Deo acceptam, ut ſerui tranſeuntes religionē iſtā liberi ſint: primusq; manumittit ſeruum ſuum Zeido. Quæ lex magnam turbam ſeruorum transfugarum adduxit, ut Romuli aſylum perditos quoſque homines contraxit. Mox nomina dederunt Mahumedi Ebubecher ciuis potentiſsimus Mechæ, relicto idolorum cultu, qui & filiam Aiſſam octo annorum uxorem ei dedit, itemq; Homar princeps ciuitatis, & Hali, & cognati Mahumedis aliquot. Quumq; factio tantopere aucta & confirmata cenſeret legem publicandam eſſe tandem Mechæ, orta ſeditione coactus eſt Mahumed cum aliis nonnullis excedere, ut ſe in uicinam urbem † Echeheph: ubi ſe prophetam eſt profeſſus palàm annum agens XXV. Indeq; ſubintrans oppida Arabiæ, & domos, decennio doctrinam ita inſinuauit, ut rara eſſet domus in hiſce locis, quæ non haberet Mahumedicę religionis conſortem aliquem. Accidit autem eo tempore, ut LXX uiri audaces, & prompti manu, & prædones inſignes in † Alabach apud eum conquererētur, quòd tanto labore, & occultius docendo conficeretur, cum poſſet legem uiribus iam obtrudere hominibus: poſtquam nulla domus exiſtat credentium expers. Simulq; rogant, quid ipſe animi

Achaiff, al.

Alabem, al.

nimi habeat. Mea quidem uoluntas eſt, inquit Mahumed, ut mandata legis exequentes, ei adhæreatis in diuitijs & paupertate: mutuaq; & firma dilectione cohæreatis: non adulterio polluatis alienas uxores. à malo abſtineatis, & alios prohibeatis, bona faciatis, & alijs perſuadeatis: bella geratis in nomine Dei, metuq; & ui leges immorigeris inſeratis. pro quibus paradiſum uerè promitto uobis. Quę oratio placuit omnibus pręſentibus, mutuumq; dedere fidem. Homar autem ſtricto gladio iurauit, nequaquam diutius ſe paſſurum eſſe, ut inuocatio Dei ueri, & ipſius legis celebratio ſit occulta. Viribus enim fortem armatum inuenire uiam ſuæ fortunæ: & gladij timorem plus efficere, quàm rationis amorem. Deinceps ergo, ut dicit hiſtoria Mahumedica, armatæ fortisq; manus uiribus propheta confiſus, apertè multa cum audacia pręeicauit, tum enſe tum ore proficiens. Itaq; armis correptis, ingrediuntur Mecham, & irruunt in templum, ac turrim Alquibla, euertentes idola & aras, & fugantes cultores, occidendo etiam eos qui obſiſterent. Tuncq; primum Mechæ nouus Moſes, ſi dijs placet, ſuam prophetiam publicè recitauit in templo. Sed tumultu excitato, repulſus eſt Mahumed: atque in Iethrib oppido, quod diſtat itinere trium dierum à Mecha, ubi Alima nutrix eum educauit, Iudæis qui ab eo defecerant, ſpoliatis, & pupillo quodam ex paterna poſeſsione deiecto, & domum eius atque prædia inuadens, ſedem fixit. Et hoc eſt initium âl higra, id eſt, peregrinationis, à qua Mahumedici rationem temporum ducunt: inciditq; in ſecundum annum Phocæ imperatoris, quo Papa Romanus à parricida obtinuit primatum in eccleſia catholica. Vnde ſimul expergefiunt tria capita aquilæ: Phocas imperator Conſtantinopolitanus, à ſcelerato milite creatus: Bonifacius tertius Papa Romanus, caput eccleſiæ pronunciatus à parricida imperatore: & Mahumed à Iudęis, & falſis Chriſtianis, & paganis euectus in

exitium

Leges Mahumedis præcipuæ, & fundamenta religonis.]

Nullum autem uiolentum perpetuum: & qui gladiũ accipit, gladio peribit.

Et in illa chorda oberrat Alcoranum, ut armis lex Mahumedica propagetur.

Sed alia eſt Pauli apoſtoli parrheſia & libertas.

exitium orbis. Poſtea Mahumed prædando & latrocinando rem geſsit, ut ad eum militum & perditiſsimorum hominum ingens turba conflueret. Ex quibus iam exercitu iuſto comparato, Mecham patriam expugnat, ac ciues omnibus fortunis ſpoliat: fratres nouem, qui delyrium eius repudiarant, aliosq́ aduerſantes interficit, & uiolenter imponit urbi ſuam uæſanam inſtitutionem, ordinatis ex arbitrio ſuo hominibus, qui res ſacras & prophanas adminiſtrarent. Quæ quidem geſta ſunt anno XII Heraclij imperatoris, qui Iudæos ui ad Chriſtianam religionem compellere anniſus eſt, ipſe interim inceſtus, maleficus, & non uni hæreticæ perſuaſioni addictus. Miſit autem Mahumed legatos ad uicinos regulos, ut legem reciperent: multisq́ perſuaſit, ut fœdus cum eo pangerent. Inuitauit etiam Rom. imperatorem, & Choſroen regem Perſarum, & Aethiopum regem, atq́ alios, ad ſocietatem nouæ ſuæ religionis. Ac rectiſsime pronunciauit Nicephorus, τότε οἱ σαρακηνοὶ ἤρξαντο τῆς τοῦ παντὸς ἐρημώσεως: Tunc incœperunt Saraceni deſolationem uniuerſi orbis. Namq́ Mahumed Arabiam & Saracenos & Perſas XVIIII anno Heraclij ſubegit, duasq́ pennas ſubalares, ſeptimam & octauam, ut uaticinium habet, deuorauit. Syriam quoque & Aegyptum, & Chaldæam & Armeniam inuaſit.

Vt pennas duas deuorauerit Mahumed.

Annumq́ agens LXIII in oppido Iethrib, quæ ciuitas prophetæ à Mahumedicis appellatur, in lecto mortuus eſt: ſed cum tormentis, ut uaticinium dicit, omnibus membris ita contractis, ut circuli figuram repręſentaret. Poſt triduum corpus fœtore moleſtum ſepelierunt in templo Iethrib: quum fruſtra expectaſſent reſurrectionem illius, & aſcenſum in cœlos, ut impoſtor ille promiſerat. Duos autem ſucceſſores proximos gladius ſuſtulit. Poſtquam enim Ebubecher Mahumedis ſocer imperium & religionem nouam tutatus eſt, & amplificauit annos duos & tres menſes, Homar alter ſocer & neceſſarius illius & ſodalis,

Mors Mahumedis et ſucceſſorū, qualem prædixit Eſdræ angelus Vriel.

O feſtinans

feſtinans ad imperium, eum interfecit. Homar autem X annos & ſex menſes imperium & religionem auxit, cœpitq; in uolumen unum partes Alcorani colligere, ut publicè legeretur. Eum occidit captiuus quidam nomine Almigira, ſubornatus ab Odmen cognato Mahumedis. Poſt hos uidetur innouata eſſe doctrina & religio Mahumedica. Odmen enim uidens rideri nouitiam legem ab ipſis etiam ſectatoribus, exemplaria ſtudioſius collegit, & quæ ab uxoribus & familiaribus dicta Prophetæ potuit expiſcari: & ex iſta friuola collectione traditionis muliebris, & chartularum ſparſarum conſarcinatum codicem authenticum Alcorani repoſuit in templis Mechæ & Iethrib. Cæterùm exacto anno XII imperij, Odmen occiſus eſt, ut nouus author religionis, per ſeditionem, quam Hali nepos Mahumedis commouerat. Inde ſunt Mahumedici in partes ſciſſi, ut Mahumed prædixiſſe fertur, donec imperium Turcæ in ſe tranſtulerunt, qui hodieq; rerum potiuntur latiſſimè in Aſia, & Aphrica, & Europa. Religio à tam uitioſo & perdito nebulone conficta, longius patet, quàm Turcicum imperium. Ideoq; uaticinium dicit: Hoc caput perterruit omnem terram, & dominabatur in ea his qui habitabant terram, cum labore multo, & potentatum tenuit orbis terrarum ſuper omnes alas, quæ fuerunt. Quod noſtris peccatis debemus imputare, & non ſanctiſſimo Domino Deo & patri noſtro cœleſti: qui uult omnes homines ad ueritatis cognitionem peruenire, & ſaluos fieri, & longanimis expectat, modiſq; omnibus inuitat cunctos mortales ad reſipiſcentiam, nolens quenquam perire.

CHRISTI IVDICIVM DE AQVILA, *& eius reprehenſio.*

Leo fortis de tribu Iu-

ET audiui uocem dicentem mihi: Conſpice contra te, & conſidera, quod uides. Et uidi, & ecce

ſicut leo concitatus de ſylua, rugiens. Et uidi, quoniam emittebat uocem hominis ad aquilam, & dixit, dicens: Audi tu, & loquar ad te, & dicet altiſsimus tibi: Nónne tu es, qui ſuperaſti de quatuor animalibus, quæ fecerã regnare in ſeculo meo, & ut per eos ueniret finis temporum eorum? Et quartus ueniens deuicit omnia animalia, quæ tranſierunt, & potentia tenuit ſeculum cum tremore multo, & omnem orbem cum labore peſsimo: & inhabitauit tot temporibus orbem terrarum cum dolo. Et iudicaſti terram non cum ueritate. Tribulaſti enim manſuetos, & læſiſti quieſcentes, & dilexiſti mendaces, & deſtruxiſti habitationes eorum qui fructificabant, & humiliaſti muros eorum qui te non nocuerunt. Et aſcendit contumelia tua uſque ad altiſsimum, & ſuperbia tua ad fortem. Et reſpexit altiſsimus ſuperba tempora, & ecce finita ſunt, & ſcelera eius completa ſunt. Propterea non appareas tu aquila, & alæ tuæ horribiles, & pennacula tua peſsima, & capita tua maligna, & ungues tui peſsimi, & omne corpus tuum uanum. Vt refrigeretur omnis terra, & reuertatur liberata de tua ui, & ſperet iudicium & miſericordiam eius, qui fecit eam.

da, id eſt, Chriſtus, diſceptat cum aquila.

Pœna & ſupplicium Romæ.

Finis deſtructionis Romanæ monarchiæ, ut oppreßi reſpirent.

Et in explanatione angelus Vriel ait:

Sicut uidiſti leonem, quem uidiſti de ſylua euigilantem, & rugientem, & loquentem ad aquilam, & arguentem eam, & iniuſtitias ipſius per omnes ſermo-

Quis iudicet aquilã.

ſermones eius, ſicut audiuiſti: hic eſt uentus, quem ſeruauit altiſsimus in finem ad eos & impietates ipſorum. Et arguet illos, & incutiet coram illis diſcerptiones illorum. Statuet enim eos in iudicio uiuos. Et erit, cum arguerit eos, tum corripiet eos. Nam reſiduum populum meum liberabit cum miſeria, qui ſaluati ſunt ſuper fines meos, & iocundabit (afficiet lætitia) eos quoadusque ueniet finis, dies iudicij, de quo locutus ſum tibi † ab initio. Hoc ſomnium, quod uidiſti, & hæ interpretationes. Tu ergo ſolus dignus fuiſti, ſcire altiſsimi ſecretum hoc. Scribe ergo omnia iſta in libro, quæ uidiſti, & pone ea in loco abſcondito: & docebis ea ſapientes de populo tuo, quorum corda ſcis poſſe capere, & ſeruare ſecreta hæc.

† ut huius quarti libri cap. 7. & 6. & 8.

Ne quis uaticinium hoc ut uile aſpernetur, ſiue non intellectum, ſiue intellectum, neue auſcultet mortalibus, aut ſuggeſtionibus ſatanæ eleuantis authoritatē ſcripturæ ſanctæ attendat, angelus in clauſula maximopere commendat nobis uaticinium hoc. Vocat enim arcanum altiſsimi, hoc eſt, conſilium, & iudicium & decretum ſapientiæ & iuſtitiæ atque bonitatis Dei, arcanum quod nulla uis ingenij humani potuiſſet perſpicere, niſi Deus ſpiritu ſuo patefeciſſet. Ac ſingulare quidem munus Dei optimi & maximi oſtendit, quod dignatus eſt hæc aperire Danieli ſtudioſo rerum diuinarum. Iubet quoque literarum monimētis comprehendere, ne obliuio aboleat, ſed ut hominibus ſuo tempore, quum hæc rebus ipſis geruntur, & uſui magno eſſe poſſunt, proferantur, & accōmodentur ad ædificationem fidei atque morum. Si quidem omnia quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per conſolationem

& patientiam ſcripturarum ſpem habeamus. Scripturę autem non patefactæ nullus eſt uſus. Ideoq; ſuo tempore debuerunt hæc publicari: ut Eccleſia Chriſti ſancta, hoc uaticinium inter eccleſiaſtica & ſacra ſcripta ſeculis iam aliquot recitauit in cœtibus ſolennibus. De quo plura ſuo loco. Interim Deus hæc uoluit committi ſapientibus, quorum corda myſteriorum Dei capacia ſunt: non prophanis contemptoribus, & illuſoribus rerum ſacrarum, qui ut canes & porci aſpernantur cœleſtes theſauros, ideoq; iuxta præceptum Chriſti, margaritas illis indignis proijcere minimè conuenit. Et quia myſteria hæc ſunt altiſsimi, hoc eſt Dei, qui ſolus dominus, ſolus ſanctus, ſolus altiſsimus: conuenit, ut religione ſumma tractentur. In iudicio autem, quo ſententia capitalis fertur in aquilam, præcipuè uerſatur utilitas uaticinij totius: cuius tres ſunt partes. Nam primò conſyderandus eſt Deus, adeoq; Dominus Chriſtus, qui pronunciat ſententiam: deinde pœna & crimina, quæ ſententia comprehendit: poſtremò ſcopus & finis, ut qui Chriſtianiſmo uero & ſempiterno initiati ſunt, in eo perſeuerent, indieſq; per Domini gratiam in omni uirtute magis progrediantur: & qui alieni ſunt à Chriſtiana inſtitutione, ut Iudæi, ut Mahumedici, ut gentiles, ut errantes Chriſtiani, in uiam diuinæ ueritatis atque ſalutis adducantur. De quibus antequam ordine & ſingulatim explico, recitare uiſum eſt alia etiam iudicia & ſententias diuinas in Romanam monarchiam, tum ex libris ſacris, tum ex Sibyllinis uaticinijs, tum ex theologis Chriſtianis, quędam etiam ex Iudæorum & Mahumedicorum ſecretiori doctrina. quibus non modò lux infundetur uaticinio præſenti per collationem, ſed etiam fides & autoritas: ut nullus poſthac pius & cordatus homo dubitet, quin hoc Eſdræ uaticinum ſomnium ex Deo ſit profectum.

IVDICIVM IN ROMANVM IMPERIVM, *quod pronunciauit* Balaam, *Numerorum cap.* 24.

VEnient in trieribus de Italia: ſuperabunt Aſsyrios, uaſtabuntq; Hebræos: & ad extremum etiam ipſi peribunt. Quod Onkelus ſiue Aquila Chaldæus interpres Moſis reddidit hoc pacto: Et naues expetentur à Romanis, & affligẽt Aſſyriam, & ſubigent eos qui trans Euphraten ſunt: ipſi uerò in æternum peribunt. Eſt autem Iudæis perſuaſiſsimum, quòd Chriſtus non ueniet, niſi prius deſtruatur imperium Romanum, quod ipſi uocant דומה מלכות malchuth Dumah, regnum Dumah, & regnum Edom, & regnum חובי hhobei, hoc eſt peccatorum, uel impium, & culpæ atq; poenæ obnoxium regnum. Errant autem Iudæi grauiter, quum putant Meſsiam non ueniſſe, quia Romanum imperium nõ ſit deſtructum: quum iuxta illud uaticinium Balaami & Danielis Iudæi uel Ebræi fuerint extirpandi ob Meſsiam ab eis reiectum, & impiè tractatum. Non autem Chriſtus ueniet in gloria & diuina maieſtate, ad iudicandum uiuos & mortuos, niſi prius imperium Romanum fuerit extinctum: ut eccleſiæ doctores, & ſaniores inter Iudæos magno conſenſu intelligunt.

IVDICIVM IN ROMANVM IMPERIVM *unitum, quod pronunciauit* D. *Ieſus Chriſtus Apoc.* 12. 13.

ET natus eſt draco in mulierem, & abijt facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimouium Ieſu Chriſti, & ſtetit ſuper arenam maris. Et uidi de mari beſtiam aſcendentẽ, habentem capita ſeptẽ, & cornua decem: & ſuper cornua eius X diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. Et beſtia quã uidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes urſi, & os eius ſicut os leonis. Et dedit illi draco uirtutẽ ſuam, & ſedem ſuã, & poteſtatẽ magnã. Et uidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortẽ, & plaga mortis eius curata eſt.

Et

Et admirata eſt uniuerſa terra poſt beſtiam: & adorauerunt draconē, qui dedit poteſtatē beſtię, & adorauerunt beſtiam dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea? Et datũ eſt ei os loquens magna, & blaſphemias. Et data eſt ei poteſtas facere mēſes quadraginta duos. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deũ, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitãt. Et datum eſt illi bellum facere cum ſanctis, & uincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnē tribum, & populum, & linguã, & gentem: & adorauerunt eam, omnes qui inhabitabant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro uitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mũdi. Si quis habet aurem, audiat: Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatē uadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi: Hic eſt patientia & fides ſanctorum.

Draconem exponit angelus Ieſu Chriſti miſſus ad Ioannem, diabolũ & ſatanam: qui perſecutus eſt mulierem ſole amictã: hoc eſt, eccleſiã ſanctã Chriſti, per Herodem & Iudęos, & Pontium Pilatũ. Vbi uerò ſe uidit parũ adhuc effeciſſe, ira percitus inſtigauit Neronē ſceleratiſsimã belluam & imperium Romanũ, eiq; dedit ſuã uirtutē omnem. Etſi enim Deus Romæ dedit imperiũ, ut omnes politię & imperia & magiſtratus à Deo ſunt: tamen quũ non agunt miniſtros Dei, & defendunt bonos, & oppugnant malos, ſed contraria faciunt ordinationi diuinæ, ſatanę imperium exercēt. ut Dominus Pilato dicit: Hæc eſt poteſtas tenebrarũ, hoc eſt, diaboli principis tenebrarũ. Caput abſciſcum, eſt Nero iugulatus ſuo gladio: quãdo prouincijs deficientibus in Gallia, in Oriente, & alibi, uidebatur occaſurum eſſe imperium. Sed Veſpaſiani, & magis etiã Traianus, inſtaurarunt illud. Adorarũt autē omnes imperio ſubiecti beſtiam iſtã, quando cum Romanis idola coluerunt, & eorũ ſuperſtitiones approbarũt. Omnes etiã Caligulę ſpurciſsimo nequã tēpla extruxerũt, & per numen ipſius iurarũt, exceptis

Adoratio beſtiæ.

Iudæis,

Iudæis, ut Ioſephus teſtatur: & Philo in libro Sapientiæ, iſtã ſuperbiã ſacrilegam exagitat. Quid quòd honores diuinos, ut adoratione͂ & ſacrificia, impenderũt aquilis, & aliſs ſignis militaribus Romanorũ? Menſes autẽ XXXXII egit permiſſu Dei cõtra Iudæos bellum gerens, quondã populũ Dei peculiarẽ. Qui dies ſunt MCCXC, Danielis 12. capite. Tanto enim tẽpore durauit bellũ Iudaicũ, miſſo Fl. Veſpaſiano cum exercitu in Syriã, donec Hieruſalẽ capta & templũ incẽſum eſt. Inde 45. diebus inquiſiti ſunt, qui ſe in latebras abdiderunt, & captiui partim occiſi, partim in metalla diſtributi & uenditi ſunt. Locutũ eſt autẽ Romanum imperiũ blaſphemias in Deũ & eccleſiam in terris, & ſanctos in cœlo. Et quòd Romana monarchia notetur, maniſeſtiſsimè indicatur cap. 17. Apoc. Iudicium igitur Dei in Romã capitale ſuppliciũ decernit ex legib. diuinis & humanis. Par eſt enim, ut quas iniurias quis intulit aliſs, uiciſsim eadẽ mala & ipſe patiatur: ut lex talionis quoq; ſtatuit. Sic Dominus Chriſtus Petro dicit: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et Hieremias de Babylone pronunciat: Sicut fecit, ita facite & illi. Et Eſai. 33. Væ qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis? Quod Dominus Chriſtus per angelũ ſuũ accommodat Romæ: & illud experta eſt infelix Roma, dilacerantibus eam barbaris nationibus, quas ipſa prior tyrannide excarnificarat.

IVDICIVM ROMAE, QVOD PROnunciauit Sibylla Erythræa.

Peccata Romæ.

QVinto in Italorum inclyto (uel glorioſo) regno nefario
Nouißimo cunctis mortalibus oſtendet multa mala,
Et totius terræ uirorum labores diſpenſabit.
Ducet autem indomitos reges gentium in occaſum (ſolis)
Et leges imponet populis, & omnia ſubijciet.

Lentè ad uindictã diuina ꝑcedit ira: ſed ma-

Serò Dei molares molunt ſubtilem tenuemq; farinam.
Ignis tunc omnia perdet, ac minutiß. puluerem reddet
In ſumma parte frondoſorum montium uertices, & uniuerſæ carnis.
Principium omnibus malorum auaritia & amentia:

Auri

gnitudine pœnæ tarditatem compenſat.

Auri enim debiti & argenti amor erit.
Nihil etenim his mortales præferent.
Non lumen ſolis, non cœlum, neq; mare,
Non terram latiſsimè patentem, unde creſcunt uniuerſa,
Non Deum, qui dat omnia, generatorem omnium:
Non fidem & pietatem his præferunt, aut potiora ducunt.

Auaritiæ malũ omnia corrumpẽs.

Fons impietatis & turbationis dux,
Machinationiſq; bellorum, & inimica pacis amentia,
Hoſtes facit liberis parentes, & liberos parentibus.
Nec matrimonium unquam integrum ſeruatur cum † auro.
Terra (ſuos) habet fines, & cuſtodes omne mare,
Omnibus dolosè diſtributa (ſcilicet terra) qui aurum habent.
(Qui ſanè) ceu uolentes ſeculis tenere multos nutrientem tellurem,
Peſſundabunt pauperes: ut ipſi amplius ſpatium
Acquirentes, ſuperbiæ inſeruiant.

Amẽtia, eſt falſa religio, & falſi nominis ſcientia, ſophiſtice uidelicet.

† Auro, pro auri amore.

Ac niſi terra ingens à cœlo ſtellato
Locum haberet remotum, ipſi lumen hominibus non eſſet æquale,
Sed emptum auro diuitum exiſteret,
Et pauperibus mundum alium Deus præparaſſet.
Veniet tibi olim ſupernè, ô iactabunda Roma, par
Cœleſtis plaga, & flectes ceruicem prima:
Et ad ſolum deijcieris, & ignis te totam abſumet,
Inclinatam in pauimenta noua: & diuitiæ peribunt.
Et tua fundamenta lupi & uulpes inhabitabunt.
Et tunc eris tota deſerta omnino, ceu non fueris.

Pœna Romæ.

Vt in Apocal. 18. cap.

Vbi nunc Palladium? Quis te Deus ſeruabit
Aureus, uel lapideus, uel æreus? Aut ubi tunc tibi
Decreta ſenatus? Vbi Rheæ, aut Saturni,
Aut Iouis genus, omnium quos coluiſti
Dæmones inanimatos ſimulachra mortuorum defunctorum,
Quorum ſepulchri gloriationem Creta infelix habet,
Thronis ſuperſtitioſe colens mortuos ſenſu carentes?

Exagitatio idololatriæ.

Atq; hoc eſt uaticinium de Roma deſtruenda, ut domicilium fieret ac ſedes noui regis Antichriſti: quod me ſuo loco redditurum eſſe promiſeram.

IVDICIVM ROMAE, QVOD PRO-
nunciauit Sibylla Sambethe, uxor Noe patriarchæ.

NOn etiã prętermittendum eſſe duxi uetuſtiſsimum de Romæ excidio uaticiniũ, quod modò extet, Sibyllæ Chaldææ, ſiue Ebrææ uxoris Noe. Se enim cum marito & filijs & nuribus in arca ſeruatã dicit, & cõdita Babylone in occiduam mundi partem profugiſſe. Ea Sambethe nominatur à uetuſtiſsimis ſcriptoribus: quæ libris XXIIII fata omnium gentium atq; populorum prępcinuit. Locuta igitur de Iſraelitarum excæcatione, & excidio urbis atq; templi, & diſperſione, quam Romani fecerunt, ipſius etiam Romæ excidium his uerſibus præſagijt:

Quędã uates præſagierunt ſibi etiam obſcura, ſed tẽpore ſuo clarè intellecta.

Quando autem Deus impleuit ualde ſapiens carmen,
Mihi etiam multam ſupplicanti rurſum in pectoribus
Suggeßit oracularium uerſuum ſummopere exhilarantem uocem.
Hæc autem profero toto corpore quaſſata. Neq; enim noui
Quid dicam: Deus autem iubet ſingula dicere.
Etenim quando in terra motus, pernicioſaq; fulmina,
Tonitrua, & fulgura, rubigo terræ,
Et rabies nocentium luporum, homicidiaq;,
Et corruptelæ hominum atq; boum mugientium,
Quadrupedumq; brutorum, & inertium
Caprarum, atq; ouium ciebuntur: poſtea uaſtitas erit tellus,
Multa relicta per negligentiam:
Et fructus deficient. Libertatis etiam erit uenditio
Inter multos homines, & ſacrilegia templorum.
Tunc & generatio decima poſthæc apparebit
Hominum: quando terram concutiens fulminator (Deus)
Idolorum ſtudium uulnerabit, populumq; quaſſabit
Romæ ſeptem collis: magnæ diuitiæ peribunt,
Subtractæ multo igne à flamma Vulcani,
Et tunc cinerulentæ à (Deo) Cœleſti, *peſſum euntes.*
Cæterùm totus mundus infinitorum hominum
Mutuum occident inſani. Ac in tumultu
Famem & peſtem ponet (inijciet) *Deus atq; fulmina*
Hominibus, qui abſq; iuſtitia ius dicunt, & leges uerſant.

Oroſius idololatriæ ſtudioſos oſtendit Romæ.

Defectus

Defectus quoq; hominum erit in orbe uniuerſo:
Vt miretur, ſi quis in terra uiderit ueſtigium
Hominis. Tunc autem iterum magnus Deus in æthere deget,
Virorum ſanorum (in religione uera) ſeruator erit per omnia.
Tuncq; pax alta & intelligentia erit:
Et terra fructifera plures rurſum fructus feret,
Neq; diuiſa, neq; amplius ſeruitio addicta.
Omnis uerò portus & ſtatio nauium libera hominibus
Erit, ut quondam fuerat: imprudentiaq; peribit.

Vt in Eſaia, per ſolam diuinã ſcientiam pax mundo reddi poteſt, uera'q; felicitas.

Illis ſubijcit certamina ultima piorũ aduerſus mundum & ſatanam, itemq; ſeductiones pſeudoprophetarũ & Antichriſti, ac pręconium Eliæ, reſurrectionem mortuorum, iudicium uniuerſale, & uitam æternam.

IVDICIVM ROMAE, QVOD LACTANTIVS *Firmianus pronunciauit lib. 7. Inſtitut. cap. 15.*

LActantius Firmianus, qui Conſtantino imperãte ante annũ centeſimũ propè q̃ Roma caperetur à Gotthis, ſcripſit libros Diuinarum inſtitutionũ, excidium Romę & imperij occaſum uerbis & ſentẽtijs Sibyllarũ & diuinę ſcripturæ prædixit, exemplum nobis in eccleſia relinquens, in quos fines ſeculorũ peruenerũt. Et lib. quidẽ ſeptimo, cap. 15. conferẽs liberationẽ populi Dei ex Aegypto & eccleſiæ Chriſti nouiſsimo ſeculo ita loquit: Eſt in arcanis ſanctarũ literarũ, tranſcendiſſe in Aegyptũ, cogẽte inopia rei frumẽtariæ, principem Hebræorũ cum omni domo & cognatione. Cuius & poſteri quũ diutius in Aegypto cõmorantes in magnã gentẽ creuiſſent, & graui atq; intolerabili ſeruitutis iugo premerentur, percuſsit Aegyptũ Deus inſanabili plaga, & populũ ſuũ liberauit traductũ medio mari, diſciſſis fluctibus, & in utrãq; partẽ dimotis, ut per ſiccũ populus graderetur. Conatusq; rex Aegyptiorũ profugos inſequi, coeunte in ſtatũ ſuũ pelago, cũ omnibus copijs interceptus eſt. Quod facinus tã clarũ, tamq; mirabile, q̃uis ad præſens uirtutẽ Dei hominibus oſtenderet, tamen præſignificatio & figura maioris rei fuit; quã Deus idẽ in extrema tẽporis

Liberatio Iſraelitarũ, & Pharaonis deletio, figura eccleſiæ & mundi.

conſummatione facturus eſt. Liberabit enim plebẽ ſuã de graui ſeruitute mundi. Sed quoniã tũc una plebs Dei, & apud unã gentẽ fuit, Aegyptus tunc ſola percuſſa eſt. Nunc autẽ quia Dei populus ex omnibus linguis cõgregatus, apud omnes gentes cõmoratur, & ab his dominantibus premitur, neceſſe eſt uniuerſas nationes, id eſt, orbẽ totũ cœleſtibus plagis uerberari, ut iuſtus & cultor Dei populus liberetur. Et ſicut tũc ſigna facta ſunt, quibus futura clades Aegyptijs oſtenderetur: ita in ultimo fient prodigia miranda per omnia elemẽta mundi, quibus imminẽs exitus uniuerſis gentibus intelligatur. Propinquãte igitur huius mundi termino, humanarũ rerum ſtatũ cõmutari neceſſe eſt, & in deterius nequitia inualeſcente prolabi. Vt iã noſtra hęc tẽpora, quibus iniquitas & malitia, uſq; ad ſummum gradum creuit, in illius tamẽ inſanabilis mali cõparatione felicia & propè aurea poſsint iudicari. Ita eñ iuſtitia rareſcet, ita impietas, & auaritia, & cupiditas, & libido crebreſcet: ut ſi tũ fortè fuerint boni, prędæ ſint ſceleratis, ac diuexẽtur undiq; ab iniuſtis: ſoli autẽ mali opulenti ſint, boni uerò in omnibus cõtumelijs atq; in egeſtate iactentur. Confundet̃ omne ius, & leges peribunt. Nihil tũc quiſq; habebit, niſi aut quęſitũ aut defenſum malè. Audacia & uis omnia poſsidebũt. Non fides in hominibus, nõ pax, nõ humanitas, nõ pudor, nõ ueritas erit: atq; ita neq; ſecuritas, neq; regimen, neq; requies à malis ulla. Omnis enim terra tumultuabitur, fremẽt undiq; bella: omnes gentes in armis erunt, & ſe inuicẽ oppugnabunt. Ciuitates finitimę inter ſe pręliabuntur. Et prima omniũ Aegyptus ſtultarũ ſuperſtitionũ luet pœnas, & ſanguine uelut flumine operietur. Tum peragrabit gladius orbẽ, metens omnia, & tanq; meſſem cuncta proſternens. Cuius uaſtitatis & confuſionis hæc erit cauſa: quòd Romanum nomen, quo nunc regitur orbis, (horret animus dicere, ſed dicam, quia futurum eſt) tolletur de terra, & imperiũ in Aſiam reuertetur, ac rurſus oriens dominabitur, atq; occidens

Eccleſia Chriſti ubiq; gentiũ.

Vltima tempora quæ Antichriſtũ pariunt.

In Mahumedicis bellis id accidit maximè, ſicq; uaſtata cernitur, ut non mille

eidens ſeruiet. Nec mirũ cuiquam debet uideri, ſi regnum tanta mole fundatũ, ac tamdiu per tot & tales uiros auctũ, tantis deniq; opibus confirmatum, aliquando tamen corruet. Nihil eſt humanis uiribus laboratum, quod non ab humanis æquè uiribus deſtrui poſsit: quoniam mortalia ſunt opera mortalium. Et poſtquam cæterarum etiam monarchiarum interitum commemorauit, Romæq; decrepitam ætatem & alteram infantiã conſtituit ſub imperatoribus, hæc ſubijcit. Quod ſi hæc ita ſunt, quid reſtat, niſi ut ſequatur interitus ſenectutem? Et id futurum breui, cantiones prophetarum denunciant ſub ambage aliorum nominum, ne facile quis intelligat. Sibyllæ tamen apertè interiturum eſſe Romam loquuntur, & quidem iudicio Dei: quod nomen eius habuerit inuiſum, & inimica iuſtitiæ, alumnũ ueritatis populum trucidarit. Deinde Antichriſtianas perſecutiones, & Dei aduerſus Antichriſtum auxilia commemorat.

ſimum oppidum ſuperſit.

Romæ occaſus.

Id teſtatur impletum Hungaria, ex parte à Turcis occupata.

Cauſæ ob quas perijt imperium Rom.

IVDICIVM ROMAE, QVOD PRONUNCIAUIT *Hieronymus preſbyter.*

Diuus Hieronymus diuinum iudicium ſtrictim conſpiciendum exhibet in regnis aliquot, præcipueq; in Romano, explanans uaticinium Eſaiæ cap. 20. aduerſus Aegyptum & Aethiopiam. Sic enim ſcribit: Eſt hic ordo prouidentiæ Dei, omne hominum genus ineffabili iudicio diſpenſantis. Contra Dei iram Iſrael ſperauit in Damaſco: Diruatur ciuitas, quæ aduerſum illius uoluntatem impijs præſtat auxilium. Iudas ſperauit in Aegyptijs: & Aegyptus deſtruatur. Aegyptij confiſi ſunt in Aethiopibus: Aethiopes quoq; uincantur ab Aſſyrijs: Aſſyrij ſuperbierunt, nõ Dei, ſed ſuarum uirium arbitrantes eſſe uictoriã: & ipſi uincantur à Babylonijs. Babylon eleuauit contra Deum caput: & ipſa à Medis Perſisq; ſuperetur. Perſę & Medi ex parte perſecuti ſunt populum Dei, & aries ſæuiſsimus ad orientẽ & occidentem omnes populos uentilauit: ueniat hircus Ale-

Ex Danielis libro decerpta ſunt hæc.

xander, & conterat eum pedibus ſuis. Et iſte qui ultra modum erectus eſt, ueneno pereat, regnũq́ eius diuidatur in partes: & cum multo tempore inter ſe colliſum fuerit, Romano uincente populetur. Romanus ipſe ferratis dentibus unguibusq́ ſanctorum carnes, & cruẽto ore lacerauit: excidatur lapis de monte ſine manibus, & potentiſsimum primum regnum & ferreum, deinde fragile & infirmum, in teſtarum modum conterat. Quomodo autem Roma potuiſſet effugere iudicium Dei graue, idem Hieronymus oſtendit, in ſecundo libro aduerſus Iouinianũ: Ad te loquar,
Apocal. 17. inquit, quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleſti: Vrbs potens, urbs orbis domina, urbs apoſtoli
ῥώμη. uoce laudata, interpretare uocabulum tuũ. Roma aut for-
רומה titudinis nomen eſt apud Græcos, aut ſublimitatis iuxta Hebræos. Serua, quod diceris: Virtus te excelſam faciat, non uoluptas humilem. Maledictionem, quam Saluator in
Apoc. 17. 18.20. Apocalypſi comminatus eſt, potes effugere, per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum. Sed quia diuinas exhortationes contempſit Roma, dedit pœnas impietatis & ſcelerum ſuorum, ut Hieronymus etiam refert in epitaphio Nepotiani, & epiſtola ad Principiam, de quibus antea ſcripſi.

IVDICIVM DIVINVM ADVERSVS *Antichriſtum regem ſecundæ Romæ, Apocalypſ. cap. 13. & 14.16.19.*

Chriſtus eſt rex regum, & archiereus, epiſcopus catholicus omniũ epiſcoporũ et eccleſiarum. Id ſibi arrogat

ET uidi aliã beſtiam aſcendentẽ de terra: & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco. Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius: & fecit terram & habitantes in ea adorare beſtiã primam, cuius curata eſt plaga mortis. Et fecit ſigna magna, ut etiam ignẽ faceret de cœlo deſcendere in terrã in cõſpectu hominum: & ſeduxit habitantes in terra, propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginẽ beſtiæ, quæ habet plagã gladij, & uixit,

uixit. Et datũ eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ. Et faciet ut quicunq; nõ adorauerit imaginẽ beſtiæ, occidatur. Et faciet omnes puſillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & ſeruos habere characterem in dextra manu, aut in frontibus ſuis: & ne quis poſſit emere aut uendere, niſi qui habeat characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius. Hic eſt ſapientia. Qui habet intellectum, cõputet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcẽti ſexaginta ſex. Et uidi, & ecce agnus ſtabat ſupra† montem Sion, & cum eo centũ quadraginta quatuor millia, habẽtes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Et uidi alterum angelum uolantẽ per mediũ cœli, habentẽ euangelium æternum, ut euangelizaret ſedentibus ſuper terrã, & ſuper omnẽ gentẽ, & tribũ, & linguam, & populũ, dicens magna uoce: Timete Dominũ, & date illi honorẽ, quia uenit hora iudicij eius: & adorate eũ, qui fecit cœlũ & terram, mare & fontes aquarũ. Et alius angelus ſecutus eſt, dicẽs: Cecidit cecidit Babylon ciuitas illa magna, quæ à uino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. Et tertius angelus ſecutus eſt illos, dicens uoce magna: Si quis adorauerit beſtiã, & imaginẽ eius, & acceperit charecterẽ in frõte ſua, aut in manu ſua, hic bibet de uino iræ Dei, quod mixtũ eſt mero in calice iræ ipſius: & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu angelorũ ſanctorũ, & ante conſpectũ agni: & fumus tormentorũ eorũ aſcendet in ſecula ſeculorũ. Nec habent requiẽ die ac nocte, qui adorauerunt beſtiã & imaginẽ eius, & ſi quis acceperit characterẽ nominis eius. Hic patientia ſanctorũ eſt; qui cuſtodiũt mãdata Dei, & fidẽ Ieſu.

Et 16 cap. angeli ſeptem phialas iræ atq; uindictæ diuinæ, hoc eſt, omne genus malorũ effundũt, quibus puniuntur Antichriſtiani in corpore & animo, & rebus externis. Prima enim plaga eſt, ulcus peſsimũ, uelut cancer, elephantiaſis, lepra, bubones, & illa dira ſcabies, quã Indianam, &

Neapolita-

Rom. Papa.

Vt illi qui Chriſti sũt, habent ſignum eius in frõtibus, et apertam confeßionem.

χξς. & latinè DCLXVI.

Nomen Lateinus eundem numerum Græcis repræſentat.

† Vt etiã 4. Eſdr. 13.

Chriſtus in monte eccleſiæ præliatur.

Aeternæ damnationis ſuppliciũ.

Vt Dominus in euangelio etiam dicit: In patientia poſſidebitis animas ueſtras.

Pœnarum genera qui-

[...]bus uindicat Deus Christianiſmi deſcriptionem.

Neapolitanã,& Hiſpanicam & Gallicã uocitãt, omnibus populis abominabilẽ,paucis autẽ cauſam mali agnoſcentibus. Secũda phiala effundit epidemiã,& luẽ atq; peſtẽ,quę populariter graſſetur,abſumẽs homines & pecudes. Tertio loco ponit̃ effuſio humani ſanguinis, quæ cõprehendit ſeditiones,proditiones,cędes,latrocinia,bella ciuilia & extera. Quarta eſt,obſcuratio ſolis,utiq; iuſtitiæ,id eſt,Chriſti,quo amicta eccleſia ſancta radiat. Decepti aũt ab Antichriſto ignorãt,& oderũt Chriſtum:ut euangeliũ ſalutis, & quod ſolũ cõſcientias ſolatur & recreat, uehemẽtius eos torqueat,q̃ morbi, aut ulla tormẽta corporis cruciẽt. Quinto loco perſequit̃ eos ingloria,& ignominia,cõtumelię,ꝓbra, cõuicia,infamia,hominũq; tã bonorũ q̃ malorũ odia & inuidia,idq; ſuo merito. Nã Chriſti cultores hęc perferũt ob nomen Dei & ueritatẽ,& exultãt,quũ talia ſuſtinent ab incredulo mũdo. Iſti aũt Antichriſtiani ferociũt, indignãtur, & ringuntur, ac blaſphemãt Deũ, & inſtitutionem diuinã. Sextò Euphrates fœcũdiſs. flumen, quod rigat Babyloniã, & omni rerũ copia ditat,exareſcit:ut prouentus & uectigalia,& tributa, & exactiões ingentiũ diuitiarũ, quibus luxũ plusq̃ Perſicum & Sybariticum alunt fouentq;, minuãtur. Ideoq; dolentes ſupra modũ ſubtrahi ſibi uoluptatum & ſuperbiæ materiã,inopiæq; impatientes,mittũt tres ranas: id eſt,trium ordinũ legatos & ambaſiatores,monachos, & doctores ſeculares,& legatos à latere, ad reges & principes & populos,ut inſtigẽt eos cõtra illos,qui pręconio Chriſti Seruatoris detegũt fraudes & impoſturas,& uilia faciũt humana figmenta, quæ temporibus ignorantiæ ſunt in ſummo precio. Quam ſui iuris perſecutionem uocãt defenſionem eccleſię,& patrimonij ſancti Petri, alijsq; titulis magnificis & coloribus acquiſitis decorãt. Dominus autem proprio notat uocabulo חרמה גדון harmah gedon,hoc eſt,excidiũ lacerationis,& anathema ruptionis. Quia enim Euphratem effoſsis aggeribus deriuari, ut bona eccleſiaſtica in

pios

pios uſus reducantur, inquiſsimè ferunt: hinc ſunt illę lachrymæ, & quiritationes, & claſsicum ad bella gerenda pro ſancta matre Eccleſia. Septimus angelus non tam phialam iræ Dei, quàm Pandoræ dolium, omni malorũ genere & panolethria refertum, effundit. Chriſtus enim iudex inſurgit, uerbum Dei, & rex regum atq; Dominus dominantiũ, & ſuos hoſtes conterit uirga ferrea tanquã uas figuli, & calcat torcular uini furoris & iræ Dei omnipotẽtis. Ideo è cœlo, è throno iudicis terrifica uox inſonat: Factum eſt, actũ eſt de Babylone: quæ preſſa pondere ultionis diuinæ, in tres partes ſcinditur: ut alij perſtent obſtinatè in recepta perſuaſione: alij relicto penitus Antichriſto, ſeſe bona fide ad ſeruatorem unicum Chriſtum cõferant: alij ambigui & tepidi, neq; prorſus Chriſtiani ſint, neq; Antichriſtiani, ſed neutrales, ut uocãt.

Vltimus autem actus iudicij huius, cap. 19. deſcribitur. Et uidi beſtiam, & reges terræ, & exercitus eorum cõgregatos ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius. Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ, et qui adorauerunt imaginem eius. Viui miſsi ſunt hi duo in ſtagnũ ignis ardẽtis, & ſulphuris. Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius: & omnes aues ſaturatę ſunt carnibus.

IVDICIVM DIVINVM ADVERSVS *Antichriſtum, Danielis Cap.* XI. *

ET brachia ex eo ſtabunt, & polluẽt ſanctuariũ fortitudinis, & auferẽt iuge ſacrificiũ, & dabunt abominationẽ in deſolationẽ: & impij in teſtamentũ ſimulabũt fraudulenter. Populus aũt ſciens Deum ſuũ, obtinebit & faciet. Et docti in populo docebũt plurimos, & ruẽt in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. Cumq; corruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo, & applicabunt̃ eis plurimi fraudulẽter. Et de eruditis ruent, ut conflent̃, & eligant̃ (purgentur) & dealbent̃ uſq; ad tempus præfinitũ: quia adhuc aliud tempus erit. Et faciet iuxta uoluntatem ſuam rex, & ele-

** Iudæi ueteres de Romanis hæc intellexerũt. Ex prouincia enim Syriæ, cui Antiochus imperauit olim, Veſpaſianus exercitũ ſuũ auxit, ut Ioſephus docet. Ex imperio autẽ Rom. Antichriſtus, qui iam deſcribitur.*

Vt Petrus etiã perſecutiones exponit, epiſt. priore.

Hinc Paulus 2. Theſſ. 2.

uabitur, & magnificabit̃ aduerſum omnem Deum, & aduerſus Deum, deorum loquet̃ magnifica, & diriget̃ donec compleatur iracũdia: perpetrata quippe eſt definitio, quũ ad extremum peruenerit impietas. Et Deum patrum ſuorum nõ reputabit, & erit in concupiſcentijs (nec intelliget concupiſcentiam) fœminarum: nec quenquã deorum curabit, quia aduerſum uniuerſa conſurget. Deum autem Maozim in loco ſuo uenerabitur: & Deum quem ignorauerunt patres eius, colet auro & argento, & lapide precioſo, rebusq; precioſis. Et faciet, ut muniat * Manzim (& uertet in munitiones Dei Manzim) cum deo alieno, quem cognouit, & multiplicabit (quem qui agnouerit, ei multiplicabit) gloriam, & dabit eis poteſtatem in multis, & terram diuidet gratuitò.

Introduxit enim doctrinã dæmoniacam, prohibens matrimonium.

Sarraceni & Turcæ non ſemel terruerũt.

Eccleſias Chriſti uaſtat.

Terrena calcantes, & uelut in deſerto mundi agentes deſpiciunt Antichriſtum.

Et in tempore præfinito præliabitur aduerſus eum Rex auſtri, & quaſi tempeſtas ueniet contra illum Rex aquilonis in curribus, & in equitibus, & in claſſe magna, & ingredietur terras, & conteret, & pertranſiet. Et introibit in terram glorioſam, & multi corruent. Hæ autem ſolæ ſaluabuntur de manu eius, Edon & Moab, & principiũ filiorum Ammon. Et mittet manum ſuam in terras, & terra Aegypti non effugiet. Et dominabitur theſaurorum auri & argenti, & in omnibus precioſis Aegypti. Per Libyam quoq; & Aethiopiã tranſibit. Et fama turbabit eum ab Oriente, & ab Aquilone, & ueniet in multitudine magna, ut conterat & interficiat plurimos. Et figet tabernaculum ſuum † Apethno inter duo maria, ſuper montem inclytum & ſanctum: & ueniet uſque ad ſummitatẽ eius, & nemo auxiliabitur ei. (Et plantabit tabernacula ſui palatij inter maria ad eximiæ ſanctitatis montem: quum'que attigerit finem ſuum, nemo ei auxiliabitur.

Dum Chriſtus glorioſo aduẽtu abolet.

IVDICIVM

** Deus Manzin, id eſt, munitionũ, qui in ædificijs magnificis degere oſtenditur, alius eſt ab illo uero, de quo Pſal. Dominus autem noſter in cœlo, omnia quæcunque uoluit, fecit.*

† אפדנו palatij uel prætorij ſui. Inter mare Tyrrhenum & Adriaticũ ſita eſt Roma ſancta, ubi curia Pontificis.

IVDICIVM DIVINVM ADVERSVS *Antichriſtum, quod pronunciauit Hieronymus doctor eccleſiæ catholicus.*

IN cõmentarijs ad Danielem Hieronymus teſtatur, Eccleſiæ doctores antiquos contendere, quod hæc uniuerſa in typo Antichriſti præceſſerint: qui ſit in templo Dei ſeſſurus, & ſe facturus ut Deum. Idem Algaſiæ quæſtionem 11. ediſſerens, quo ſenſu accipienda ſint, quę Paulus ſcribit 2. Theſs. 2. Niſi diſceſsio uenerit primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, & reliqua, ita ſcribit: Theſſalonicenſium animos uel occaſio non intellectæ prioris epiſtolæ, uel ficta reuelatio, quæ per ſomnium deceperat dormientes, uel aliquorum coniectura, Eſaiæ, & Danielis, Euangeliorumq́ꝫ uerba de Antichriſto prænunciantia in illud tempus interpretantium mouerat, atq́ꝫ turbauerat, ut in maieſtate ſua tunc Chriſtum ſperarent eſſe uenturũ. Cui errori medetur Apoſtolus, & exponit, quæ ante aduentum Chriſti debeant præſtolari: ut cum illa facta uiderint, tunc ſciant Antichriſtum, id eſt, hominem peccati & filium perditionis, &c. eſſe uenturum. Niſi, inquit, uenerit diſceſsio primùm, quod Græcè dicitur apoſtaſia, ut omnes gentes, quę Romano imperio ſubiacent, recedant ab eis, & reuelatus fuerit, id eſt, oſtẽſus, quem omnia prophetarum uerba pręnunciant, homo peccati, in quo fons omnium peccatorum eſt, & filius perditionis, id eſt, diaboli: ipſe eſt enim uniuerſorum perditio, qui aduerſatur Chriſto, & ideo uocaẽ Antichriſtus: & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, ut cunctarũ gentium deos, ſiue probatam omnem & ueram religionem ſuo calcet pede: & in templo Dei uel Hieroſolymis, ut quidã putant, uel in Eccleſia, ut uerius arbitramur, ſederit, oſtendẽs ſe tanquam ipſe ſit Chriſtus & filius Dei: Niſi, inquam, fuerit Romanum imperiũ antè deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus nõ ueniet: qui ideo ita uenturus eſt, ut Antichriſtũ deſtruat. Et mox: Nec uult apertè dicere, Romanum imperium deſtruendũ, quod ipſi qui imperant, æternum putant. Vnde ſecundum Apocalypſim

Omnes prophetæ Antichriſtum prædixerunt: tanti refert eum noſſe.

Sumit enim ſibi omnino poteſtatẽ & officium Chriſti, ut dicat ſe remittere peccata, ſpiritũ ſanctũ dare, &c.

Apoc.17. Et hic Romã ſedem Antichriſti monſtrat Hieron.

lypſim Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt, Romæ æternæ. Si enim apertè audacterq́ dixiſſet, Non ueniet Antichriſtus niſi prius Romanum deleatur imperium, iuſta cauſa perſecutionis in orientem tunc eccleſiam conſurgere uidebatur. Myſterium.) Multis malis atq́ peccatis, quibus Nero impuriſsimus Cæſarum mundum premit, Antichriſti parturitur aduentus: & quod ille operaturus eſt poſtea, in iſto ex parte completur. Tantum ut Romanum imperiũ, quod nunc uniuerſas gentes tenet, recedat, & de medio fiat. Et tunc Antichriſtus ueniet, fons iniquitatis: quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, diuina uidelicet poteſtate, & ſuę maieſtatis imperio: cuius iuſsiſſe, feciſſe eſt. Non in exercitus multitudine, nõ in robore militum, non in angelorum: ſed ſtatim ut ille aduenerit, interficietur Antichriſtus. Et quomodo tenebræ ſolis fugantur aduentu, ſic illuſtratione aduẽtus ſui eum Dominus deſtruet atq́ delebit. Cuius opera, ſatanæ ſunt opera. Et ſicut in Chriſto plenitudo diuinitatis fuit corporaliter: ita & in Antichriſto omnes erũt fortitudines, & ſigna, & prodigia, ſed uniuerſa mendacia. Seducent autem eius mendacio, qui perditioni ſunt præparati: facietq́ omnia hæc nõ ſua uirtute, ſed cõceſsione Dei. Qui ergo charitatẽ & ueritatẽ, id eſt, ſpiritum Dei per Chriſtũ non receperũt, ut ſaluatore ſuſcepto ſalui fierent, mittet illis Deus non operatorẽ, ſed ipſam operationẽ: id eſt, fontẽ erroris, ut credant mendacio. Quia mendax eſt ipſe, & pater eius. Et ideo iudicandi ſunt, imò procul dubio condemnandi Iudæi (& cæteri homines) qui Chriſti ueritate contempta, mendaciũ, id eſt, Antichriſtũ ſuſcipiũt.

Satanica uis, et operatio Antichriſti: quæ Gregorius exponendo Behemoth, & Leuiathã in Iob, explicat.

Ita in Euang. Ioannis: Hæc eſt damnatio mũdi, quia lux uenit, & homines magis dilexerunt tenebras quàm lucem.

DIVINVM IVDICIVM ADVERSVS ANtichriſtum, *quod pronunciauit Lactantius lib. 7. Cap. 17. 19.*

Quidam ueteres opinati ſunt, Antichriſtũ fore Iudæũ, ex tribu Dan.

LActantius Firmianus cõmemorato excidio Romæ, ut antea iudicaui, & bellorũ tempeſtate, quæ inde auctior etiam fuit, ac diuino præconio Eliæ, de Antichriſto ſic loquitur: Peractis operibus eius, alter Rex orietur ex Syria, malo

malo ſpiritu genitus, euerſor ac proditor generis humani: qui reliquias illius prioris mali cum ipſo ſimul deleat. Hic pugnabit aduerſus prophetam Dei, & uincet, & interficiet eum, & inſepultum iacere patietur. Sed poſt diem tertium reuiuiſcet, atque inſpectantibus mirantibusq; cunctis rapietur in cœlum. Rex uerò ille teterrimus erit quidem & ipſe, ſed mendaciorum propheta: & ſeipſum conſtituet ac uocabit deum, & ſe coli iubebit, ut Dei filium. Et dabitur ei poteſtas, ut faciat ſigna & prodigia: quibus uiſis irretiat homines, ut * adorent eum. Iubebit ignem deſcēdere de cœlo, & ſolem à ſuis curſibus ſtare, & imaginem loqui. Et fient hæc ſub uerbo eius: quibus miraculis etiam ſapientium plurimi allicientur ab eo. Tunc eruere Dei † templum conabitur, & iuſtum populum perſequetur: & erit preſſura & contritio, qualis nunquam fuit à principio mundi. Quicunque crediderint, atq; acceſſerint ei, ſignabuntur ab eo tanquam pecudes [a]. Qui autem recuſauerint notam eius, aut in montes fugient, aut comprehēſi, exquiſitis cruciatibus necabuntur. Idem iuſtos homines obuoluet libris prophetarum, atq; ita cremabit [b]. Et dabitur ei deſolare orbem terræ menſibus quadragintaduobus. Id erit tempus, quo iuſtitia proijcietur: & innocentia odio erit, quo mali bonos hoſtiliter prædabuntur [c]. Non lex, aut ordo, aut militiæ diſciplina ſeruabitur. Non canos quiſquam reuerebitur: non officium pietatis agnoſcet: non ſexus aut infantiæ miſerebitur. Confundentur omnia, & miſcebuntur contra fas, contra iura naturæ. Ita quaſi uno communi grauiq; latrocinio terra uniuerſa uaſtabitur. Quum hæc ita erunt, tunc iuſti & ſectatores ueritatis ſegregabunt ſe à malis, & fugient in ſolitudines. Quo audito, impius rex inflammatus ira, ueniet cum exercitu magno. Et admotis omnibus copijs circundabit montem, in quo iuſti morabuntur, ut eos comprehendat. Illi uerò, ubi ſe clauſos undiq; atq; obſeſſos uiderint, exclamabūt ad Deum uoce magna, & auxilium cœleſte implorabunt. Et exaudiet eos Deus, & emittet regem magnū de cœlo, qui eos eripiat,

Quæ Apoc. 11. de pugna Antichriſti cō tra uetus et nouum teſtamentum dicit, Eliæ accommodat.

Quæ opinio fluxit ex uaticinio Sibyllino, ſed nō probè intellecto.

** Nam extant libri, qui dicūt, oportere in papa ueram ac uiuam Chriſti adorare imaginem.*

† Sibylla dicit, uerum templum, id eſt, eccleſiam.

a. Character beſtiæ.

b. Incēdiarij ſacrorū librorū hodie quoque noti.

c. Turbatio rerum omnium hodie cernitur.

Reſpicit ad uaticiniū Eſdræ 4. lib. 13. cap.

& liberet, omnesq́ impios ferro igniq́ diſperdat. Oppreſſo igitur orbe terræ, quum ad deſtruendam immenſarum uirium tyrannidẽ humanæ opes defecerint (ſiquidem capto mundo cum magnis latronũ exercitibus incubabit) diuino auxilio tanta calamitas indigebit. Commotus igitur Deus & ancipiti periculo, & miſeranda comploratione iuſtorum, mittet protinus liberatorem. Tunc aperiet̃ cœlum medium intempeſta nocte, & tenebroſa: ut in orbe toto lumen deſcẽdentis Dei tanquam fulgur appareat. Hic eſt iudex, & ultor, & rex, & Deus: quem nos Chriſtum uocamus. Qui prius quàm deſcendat, hoc ſignum dabit. Cadet repentè gladius è cœlo, ut ſciant iuſti ducem ſanctæ militiæ deſcenſurum. Et

Chriſtus uictor Antichriſti unicus.

deſcendet comitantibus angelis in medium terræ: & præcedet eum flamma inextinguibilis. Et uirtus angelorũ tradet in manus iuſtorum multitudinẽ illam, quæ montem circunſederit: & circuncidetur ab hora tertia uſq́ ad ueſperum. Et fluet ſanguis more torrentis: deletiſq́ omnibus copijs, impius ſolus effugiet, & peribit ab eo uirtus ſua. Hic eſt autem,

Vt ἀντίθεοι lapides dicuntur à Sibyllis, quibus homines uenerationẽ et honores impẽdunt uiuo Deo debitos: ita & Antichriſtus dicitur, qui Chriſto æquatur, & tamẽ illi contrarius eſt.

qui appellatur Antichriſtus: ſed ſe ipſe Chriſtum mentietur, & contra uerum dimicabit: & uictus effugiet, & bellum ſæpe renouabit, & ſæpe uincetur. Donec quarto prælio confectis omnibus impijs, debellatus, & captus tandem, ſcelerum ſuorum luet pœnas. Sed & cæteri principes & tyranni, qui contriuerunt orbem, ſimul cum eo uincti adducentur ad regem. Et increpabit eos, & coarguet, & exprobrabit his facinora ipſorũ, & damnabit eos, ac meritis cruciatibus tradet. Sic extincta malitia, & impietate cõpreſſa, requieſcet orbis, qui per tot ſecula ſubiectus errori ac ſceleri nefandã pertulit ſeruitutem. Non colentur ulterius dij manufacti: ſed à templis & puluinaribus ſuis deturbata ſimulachra igni dabunt̃, & cum donis ſuis mirabilibus ardebunt. Quod etiam Sibylla, cum prophetis congruens, futurum eſſe prædixit.

Vt Ezechiel omnes tyrannos congregat apud inferos.

IVDICIVM

IVDICIVM DIVINVM ADVERSVS ANTIchriſtum Rom. & omnes incredulos, quod præcinuit Sibylla Sambethe, uxor Noe.

Nouiſſimæ ætatis uiri admodum malefici (erunt)
Stolidi, neq; intelligentes, quod uincit tribus fœminarum,
Ne pariant meſſem hominum diuerſæ dialecti,
Neq; contractionem propinquam. Quando quidam pro prophetis
Mendaces impoſtores uenerint, in terram prædicantes, ſeq; uenditantes:
Et Belias ueniet, multaq; ſigna & prodigia edet
Hominibus. Tunc autem ſanctorum reſtitutio uirorum,
Electorum, fideliumq; pugna erit.

Et in ſermone tertio uaticiniorum Sibyllinorum:

Ex reuerendis atq; colendis ueniet Beliar poſtmodum,
Et ſiſtet montium altitudinem: ſiſtet uerò & mare,
Solemq; ignitum magnum, & lunam ſplendidam:
Et mortuos ſuſcitabit, multaq; ſigna & prodigia edet
Hominibus, uerùm non perfecta erunt in eo,
Sed decipiet: & quidem homines multos decipiet,
Fideleſq; & electos Ebræos, & alios exleges
Viros, quicunq; Dei uerbo non obtemperarunt.
At ubi magni Dei accerſiuerint minas,
Vis flagrans per tumorem in terram ueniet,
Et Beliar comburet, ac homines fœdifragos
Omnes, quotquot iſti fidem adhibuerint.
Et tunc mundus ſub palmis † mulieris
Erit gubernatus, & per omnia obediens.

Et ſermone quinto, poſtquam à Iulio Cæſare deinceps imperatores notauit Romanos uſq; ad tertiũ Pium, nimirum Seuerum Alexandrum, ſub quibus felicius fuit imperium: deinde commemorans etiam bella ſæuiſsima in toto orbe, aduentum Antichriſti & ſcelera & ſupplicium hiſce uerſibus decantat: quem Babylonis regem uocat formidabilẽ, & impudentem, quem omnes odere mortales:

Veniet autem cœlitùs ſtella magna in mare uaſtum,
Et inflammabit mare profundum, ipſamq; Babylonem,

בליעל Belial crimen eſt maximum, quod ſonat deſertũ ab omni pietate & bono.

Qui uidelicet in eccleſia pro uenerandiſsimis habentur.

Miracula falſa.

Cum Antichriſto damnantur omnes eius ſectatores.

† Mulieris, Eccleſiæ uidelicet ſanctæ catholicæ, nõ Romanæ curiæ.

Vt Apocal. 9. Babylon Roma.

Italiæ terram: cuius gratia multi perierunt,
Ebræorum ſancti fideles, & templum uerum.
Eris inter homines malos mala elaborans:

Malicia uidelicet, quia ſunt incurabiles, ἀκατάπαυστοι ἁμαρτίας.

Sed manebis tota deſerta. Cunctis ætatibus in ea
Erit: ſed manebit in æternum tota deſerta,
Tuum exoſa ſolum: quia ueneficium amauiſti.
Adulteria apud te, & puerorum mixtio nefaria.
Effœminata, iniuſta, mala ciuitas, infauſtiſſ. omnium.
Hei hei, per omnia impura ciuitas Latinæ terræ,
Furia ſerpentibus gaudens, uidua ſedebis ad ripas:

† Pellicem dicit, non eccleſiam ſanctam Chriſti, et ſpõſam, ſed meretricem Romanam. ut Apoc. 17.

Et flumen Tiberis te plorabit, & tuam † pellicem.
Neq; cædi patrandæ cor aptum habes, ſed impium furorem.
Non noſti quid Deus poteſt, quidq; machinatur.
Sed dixiſti: Sola ſum, & nullus me deſtruet.
Nunc autem te tuosq; omnes perdet Deus ſemper exiſtens:
*Et non amplius tuum * ſignum erit in terra iſta,*
Vt olim, quando tuos magnus Deus inueniebat honores.

** Vexillũ eccleſiæ Rom. cũ clauibus, &c.*

Tantum nefaria ſola, igneq; mixta ardente
Tartareum habita locum nefarium in inferno.

IVDICIVM DE CONSTANTInopolitano imperio.

Mathematici iudiciũ de Conſtantinopoli.

ETſi decreta ſupplicia impietati atq; ſceleribus Romæ, tum alijs omnibus ſimiliter peccantibus, tum Conſtantinopolitano imperio & Mahumedico, quæ ex Romano ſunt propagata, ſingulatim tamen utrunq; imperium de ſuis fatis præmonitum fuit: quarum admonitionũ aliquas indicabo. Dum Conſtantinopolis in loco Byzantij cõſtrueretur, Valens Mathematicus inſpecto urbis horoſcopo, renunciauit, opus duraturum annos 696. Quod in eam ſententiam acceptum eſt, fore tandiu principes, qui conſilio bonorum & ſapientium rempublicam bene gubernẽt: poſtea tyrannos diſſipaturos eſſe Imperium, omnibus ferè ad uſus priuatos tyrannorum translatis. Et hoc apoteleſma mathematicum euentus comprobauit: non quòd aſtrorum ui conſeruentur aut intereant imperia, ſed quòd diuina prouidentia cunctis

tia cunctis bene conſulens hominibus, etiam quandoq; per ſuperſtitioſas obſeruationes mundũ admoneri patitur. Certè exactis annis DCLXXXXVI. poſt dedicationem urbis Conſtantinopolitanę, quæ fuit CCCXXVI. anno reparatę ſalutis per Chriſtum, Conſtantinus Baſilij frater, quiq; poſt eum tenuere Imperium, paulatim rempub. uniuerſam perdiderunt. Ex uerbo autem Dei Conſtantinus maximus, pronunciatum maximè obſeruandum principibus & populis ediderat: quod neglectum, exitio fuit imperio Conſtantinopolitano. Conſtantinus enim, ut Nicephorus ſcribit lib. 7. cap. 46. publicè omnes cohortatus eſt, ut in primis diuinum numen piè colerent. Ita enim fore, ut omnia eis abundè prorſus ſuppetant, omniaq; cœpta cum ſpe optima feliciter cedant. Sin à pietate tali & ueri Dei religione aberrarent, nihil eos & pace & bello, quàm res aduerſas expectare debere, confirmans.

IVDICIVM DE LEGE ATQVE *imperio Mahumedis.*

Hiſtoria de rebus Mahumedis & ſucceſſorum eius xij. quæ ſummam obtinet authoritatem apud Saracenos, memorat, ipſum Mahumedẽ prædixiſſe, quòd ipſius lex & regnum haud diuturna forent. Homo enim callidus & uerſutus, ſibiq; conſcius, quòd fraude & tyrannica uiolentia res ipſius niterentur, certum habuit, neq; religionem & inſtitutionem iſtam colendi Deum, neq; regnũ diuitius ſtare poſſe. Tamen prophetico more hanc ruinam prædicere uoluit. Quod omen equidem libenter accipio, iuxta ſeruatoris Ieſu Chriſti dictum: Serue nequam, ex ore tuo iudico te, & ex uerbis tuis condemno te. Hæc igitur Mahumed uaticinatum accepimus, de legis & imperij ſui duratione: Meæ legis dignitas et obſeruatio perſeuerabit, quamdiu de Coraſci xx ſuperſtites erunt. Fuit familia & genus Mahumedis Coraſceorum gens. Et rurſum: Mei ſucceſſores habitu uiliſsimo utent̃ uſq; ad annos triginta: poſtea gaudebunt ornatu ſplendido, & ſuperbia. Teſtatus etiam eſt, ſuę legis præcepta, om

Mahumedicũ uaticinium.

niumq́ſequentium prælatorum, conſtanter atq́ diligenter obſeruatum iri, uſq́ ad finem xij uicariorum ſuorum. Eum uerò magna turba hominum deducens domum, interrogauit, quid poſt illos xij. ſucceſſores futurum eſſet? Cui reſpondit: Contrarietates, contrarietates: hoc eſt, diſsidia perpetua, donec molitio iſta cõtraria & inimica Deo penitùs corruat.

Aliud uaticinium Mahumedicum.

Eiuſdem generis eſt, quod annum milleſimum præfixit ſuis inſtitutis: nõ ignarus, tum Iudæos tum Chriſtianos mundi huius curriculum dimetiri millenarijs. Eſtq́ obſeruatum ab origine rerum, milleſimo quoq́ anno inſignem aliquam uiciſsitudinem rerum fuiſſe. Dixit autem intimis ſuis amicis Mahumed, & arcanorum conſcijs, anno milleſimo fore, dum Chriſtus aduenìet ad regnum ſuum, & Alcoranum in occidente publicetur, ut liberè de illo diſputent Chriſtiani & alij homines, ut concidat atq́ intereat eius obſeruatio. Cuius rei teſtes ſunt Menauenius Genuenſis, qui diu captiuus egit inter Muſſulmanos, omnesq́ res ipſorũ perdidicit: & Hali Benc, genere & doctrina & uirtute nobiliſsimus uir inter Mahumedicos, qui anno 1525 Ferrariæ Chriſto initiatus eſt per ſacrũ lauacrũ, abiecta Mahumedis ſuperſtitione. Fiunt autem ex annis mille Arabicis lunaribusq́, ſolares 930, & dies 174. Eos ſi quis detrahat ab annis 1553, relinquentur anni ſolares 583. poſt Chriſtum natum, quo tempore Mahumed uxorem opulentam nactus, cœpit ſeſe iactitare prophetam. Eſtq́ hic annus 1553. Alcorano fatalis & climactericus, hoc eſt, ſcalaris. Vt enim obſeruatum expertumq́ eſt in multa hominum memoria, pleriſq́ ſenibus lxiij annũ uitæ cum periculo & clade aliqua uenire, aut morbi grauioris in corpore, aut ægritudinis animi, aut uitæ interitus: ita me bona ſpes tenet, quum Alcorani liber non ſine Prouidentia Dei ante annos x in publicum ſit editus, omnibus facta copia inſpiciendi uaniſsimas nugas iſtius pſeudoprophetæ: & iam anno milleſimo, quem præſtituit ipſe Mahumed, ex uaticinio Eſdræ iudicium Dei reueletur aduerſus iſtam abominationem: fore ut Alcoran incipiat non aſcendere in cœlũ per

Climactericus annus Alcorani.

ſcalas

ſcalas Iacobi patriarchæ: ſed per Mahumedis ſcalas, quibus ſe impoſtor finxit ad thronũ Dei aſcendiſſe, præcipitari ad parentem mendaciorũ diabolum, qui euomuit iſtam maledictionem, & librum uolatilem ex Acherõtica palude. Et ſanè quàm ſuę legi metuerit Mahumed, quippe mendaciſsimæ & impientiſsimæ, ne aliquando in lucem protraheretur, ac iudicaretur ad normam diuini uerbi, ſatis oſtendit codex ipſe Alphurcani, per omnia propemodũ capitula inculcans, ut ei ſimpliciſsimè credatur, nihilq́ꝫ uocetur in dubium atq́ꝫ diſputationem, & ut gladio defendatur.

Eſt & aliud uaticinium uulgo celeberrimum, quo rerum Turcicarũ, gladio Chriſtiano uindice, repreſsio præſagitur. Quod in nomine authoris, à quo accepi, referre non pigebit: neq́ꝫ etiam alienum puto ab inſtitutis. Bartholomęus Georgeuuitzius, qui annos xiij ſeruitium Turcicũ pertulit, commemorat prognoſticum hoc fidem habere apud Mahumedicos: & quoties recitatur, omnis ætatis & ſexus & ordinis homines magna eiulatione infortunium ſibi impendens deplorare. Id uerò ex Perſica lingua, quę Turcis eſt uernacula, interpretatum latinè ſic habet: Imperator noſter ueniet: gentilium regnum capiet: rubrum malum capiet: ſubiugabit ſeptem uſq́ꝫ ad annos: ethnicorum gladius ſi non inſurrexerit, duodecim uſq́ꝫ ad annos eorum dominabitur: domum ædificabit: uineã plantabit: hortos ſæpe muniet: filium & filiam habebit. Duodecim poſt annos Chriſtianorũ gladius inſurget, qui Turcam retrorſum profligabit.

Turcicum uaticinium.

Quod præſagium uaticinatur de imperatore Turcarum, & imperio Mahumedico, & capiẽdo malo uel pomo rubro. Malum autem rubrum, ſymbolum eſt imperij Conſtantinopolitani, quod Turcę Romanum dicunt: & in hoc uaticinio regnum gentilium uel infidelium dicitur. Nam Mahumedici Iudæos & Chriſtianos & hæreticos uocant chieapherim, id eſt, negatores. Cæpit autem Mahumed anno poſt Chriſtũ natum 1453, Conſtantinopolim. Quam obtinendam à Turcis annos ſeptem, præſagium dicit, niſi gladius ethnicorum

Vt ſuprà dictũ de ſtatua Conſtantini, tenentis in manu globum aureum.

inſurrexerit. Gyaur, ut Ebræis גר ger, ſignificat peregrinū & alienum, uel profeſsione fidei, uel gente. Proq́ꝫ certiſsimo pronunciat, poſt annum xij. gladio Chriſtianorum Turcas retrorſum agendos eſſe. Vbi gladij duo primùm ſcitè ſunt diſcernendi. Alius enim eſt gladius gentilium, alius autem gladius Chriſtianorum: deinde ratio temporis probè conſtituenda eſt. Gladius gentilium eſt, quem etiam Chriſtiani magiſtratus gerūt ex ordinatione diuina, quo Petrus apoſtolus defendere uoluit Dominum, & occidere hoſtes Chriſti: ſed prohibet. ait enim Dominus: Mitte gladiū in locum ſuum: qui gladiū acceperit, gladio peribit. Gladius igitur gentiliū Turcas infeſtaſſet capta Conſtantinopoli, ſi Perſarum rex Sophi, aut imperator Tartarorum Gog Chan, aut Aegypti Soldanus cum ſuis Mamluchis, aut imperator Fridrichus, armis pepuliſſent Mahumedem, aut eius ſucceſſorem Paiazeten, ex Thracia & Græcia. Chriſtianorum autem gladius eſt ſpiritualis armatura, qua expugnantur portæ inferorum, uerbū Dei, ſcripturæ ſanctæ legitima explanatio, fides, ſpes, charitas, inuocatio Dei, piæq́ꝫ preces, uitæ ſanctitas, eleemoſynæ & opera miſericordiæ, quibus numen placatur, & paratur auxilium diuinum. His igitur armis, quibus diſcipuli Domini Ieſu mundum uicerunt, omnesq́ꝫ populos redegerunt in iuriſditionem Meſsiæ, lex & religio & tyrannis Mahumedica repellent. Et Chriſtiani principes ſtudio pacis primùm inter ſe, deinde erga populos exteros, quantum fieri poteſt, magis promouebunt imperij Chriſtiani fines, quàm bellis temerarijs: qualia fuerunt tranſmarina illa pro terræ ſanctæ recuperatione ſuſcepta, & geſta ex arbitrio Rom. Papæ, & alia ſimilia. Porrò anni ponuntur non uulgares, aut uertentes, ſed maiores, quibus ſolis & lunæ motus conciliantur. Annus magnus diutiſsimè fuit olympias, aut luſtrū, annorum ſolarium quatuor. Sed hoc tempus quod ad ſolis modò curſum, nec ad lunæ congruere uidebatur, ab Eudoxo mathematicorum facile principe duplicatum eſt, & octoëteris facta, quæ nunc enneateris uocitata: quia primus eius annus

nono

nono quoq; anno redibat. Hunc circuitum uerè magnum annum eſſe, pleraq; Græcia exiſtimauit, quòd ex annis uertentibus ſolidis cōſtaret: ut propriè in anno magno fieri par eſt. Hæc Cenſorinus. Cæterùm Arabes & Mauros aſtronomiam, quę motus lunæ & ſolis, & rationem temporũ exactam monſtrat, à Græcis didiciſſe, uulgus etiam eruditorũ nouit. Conficiũt igitur 12 anni magni uel enneaterides, annos ſolares 96. lunares autem, 99: qui ſi adijciantur anno, quo capta eſt Conſtantinopolis, attingũt annum 1550. Monachus autem Græcus ille, qui Conſtantinopoli perdita, uaticinatus eſt, poſt annos 80 recuperandam eſſe, uidetur hoc prognoſticũ ſecutus, & annorum hebdomadas intellexiſſe. Quandoquidem igitur iuxta Mahumedicorũ præſagia, tempus tandem appetijt, quo Mahumedis molitio diſſoluatur, agite uiri Chriſtiani, Principis noſtri optimi maximi auſpicia ſecuti, armis uerè Chriſtianis bella Domini geramus: & uidebimus non defore ſancta recto animo conantibus auxilia diuina: ut Græcia, Thracia, totusq; Oriens, & Meridies & Septentrio & Occidens, in nomen unici mediatoris & ſeruatoris omnium Ieſu Chriſti feliciſsimè cōſentiant, atque conſpirent iterum.

IVDICIVM DIVINVM DE MONARchia tota Rom. quod Eſdras in hoc uaticinio protulit.

Eſtat, ut iudicium de monarchia tota Rom. expendatĩ, quòd diuinus Eſdras ultimo loco ſcripſit: in quo tria potiſsimũ ſpectanda propoſui. Ac primùm, quis' nam ferat ſententiam in Romanum imperium: non utique propheta Eſdras, neq; angelus Vriel, ſed Deus, iudex uniuerſæ terræ, qui Altiſsimus dicitur epitheto perpetuo. ut inſpiciant monarchæ huius mundi, quem habeant iudicem, quàm potentem & ſublimem: qui omnipotens eſt, nec quiſquam ei reſiſtere poteſt. Quem iudicem expertus Nabuchodonoſor, in ſua confeſsione dicit: Nunc laudo & glorifico regem cœli, quia omnia opera eius uera, & omnes uiæ eius iudicia: & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare. Et Cyrus: Omnia

Quis proferat iudicium.

regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli. De quo & liber Sapientiæ admonet: Audite reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ: quoniam data eſt à Domino poteſtas uobis, & uirtus ab altiſsimo: & reliqua, cap. 6. Et leo quidē cum aquila diſceptat, per quem diuinum iudiciū profertur. Nec obticet interpres angelus, quis'nam ſit leo: nempe uentus, quem ſeruauit altiſsimus in finē aduerſum eos. Et apertius 13. cap. Ecce de mari uentus exurgebat, ut conturbaret omnes fluctus eius. Et uidi, & ecce conualeſcebat ille homo cum nubibus cœli. Ac poſtea: Et erit, cum fient hæc, & contingent ſigna, quæ ante oſtendi tibi: & tunc reuelabit filius meus, quem uidiſti ut uirum aſcendentem. Itaq; per leonē alium nō poſſumus intelligere, quàm Dei filium, per quem omnia ſunt condita, & per eum cōſiſtunt ac reguntur, quiq; iudex ordinatus eſt uiuorum & mortuorū. Etſi enim agnus eſt, qui tollit peccatū mundi: eſt tamen leo fortis de tribu Iuda in dimicatione cū hoſtibus, ut Apoc. 10. & Eſaiæ 20. cap.

Leo Chriſtus.

Hinc Amos etiam argumentatur 3. cap. Leo rugiet: quis non timebit? Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit? Nulloq; negotio quiuis iam colligit ex proprietatibus naturæ diuinæ, ſummam fidem atq; authoritatem mereri hoc iudicium. Nam qui omnipotēs eſt, & uerax, poteſt ac uult rebus implere, quæ loquitur. Et ſeriò loquitur, non ut ſimulator, aliud uerbis oſtentans, aliud cogitans facere. Iuſtitiam quoque Domini cogitare ſemper oportet in iudicijs eius: ut Dauid, ut Daniel, ut Iudith fecerunt. Nec tamen hæc decreta, ut Parcarum tabulas, rigida exiſtimare cōuenit, quibus ne Iupiter quidem optimus maximus reluctari poſsit. Nam ſi homines recedant à malis, Deus miſericors & philanthropus condonat peccatum etiam, & mitigat pœnas, aut omnino tollit. ut Hieremias capite decimooctauo loquitur uerbis Dei: Repentè loquar ad reliquam gentem, ut euellam, & reliqua. Nam ſi homines recedant à malo culpæ, Deus promittit, ſe remiſſurum quoq; malum pœnæ. Cuius habemus tum alia exempla, tum Niniuē, & Achab,

& Hie-

& Hieruſalem, quam Micheas dixerat ſubuertendam eſſe. Alioqui niſi reſipiſcant homines, immutabilia ſunt decreta Dei ſupplicia: ut Roma tot ſeculis iam ſatis fuit experta.

Quid ſententia & iudiciũ hoc comprehẽdat.

Iam uerò quid iudicium hoc in Romam comprehendat, ſua ſponte occurrit animo attento. Nam ij qui per aquilam notantur, ſiſtuntur in iudicio Dei, & arguuntur, & damnantur impietatis, aliorumq; ſcelerum. Vt enim iudicia mathematicorum dicuntur, quum horoſcopo ciuitatis inſpecto, fata eius denarrant: utq; proceſſus iuridicus in cauſis forenſibus iudicium dicitur: ita reuelatio diuinæ iuſtitiæ & ultionis ob peccata, iudicium diuinũ uocatur, ueluti in Romam, aut de Roma. Eſt igitur ſententia iudicialis, eaq; grauis & damnatoria, ſeu capitalis totius Romanæ monarchiæ: quod iudicia etiam ſuperius recitata planius faciunt. Ideo duo hæc notanda ſunt, pœna quæ decernitur, & crimen atq; peccatũ ob quod punitur. Quæ ſunt in capite 15. & 16. copioſius expoſita, & Apoc. 17. 18. 29. & Danielis cap. 7. itemq; in iudicijs ſuprà recitatis. Vtileq; fuerit, ea in locos digerere cõmunes, puta in genera bonorũ atq; malorũ, & in genera uirtutũ officiorumq;, & peccatorũ. Ac mala quidem copioſe commemorant in legis benedictionib. & maledictionibus in Deuteronomio & Leuitico: diſtribuiq; poſſuut in bona & mala corporis aut animi, aut externa quæ fortunæ dicunt. Nam mala inferendo, & bona ſubtrahẽdo, puniet Deus impietatem atq; ſcelera hominum. Quæ aliâs breuius, aliâs copioſius exponuntur. Nam Ezechiel quatuor iudicia numerat, famem, peſtem, gladium, incurſus ferarum. Apocalypſis aũt ſeptem phialis aut cyathis effundit omne genus malorũ, in eos qui Chriſto aduerſantur. Hic autem temporaria pœna intentatur capitibus aquilę tribus, & unguibus, id eſt, exercitibus, & alis atq; pennis horrificis, id eſt, omnibus qui adiuuant capita impiè agendo: & pœna æterna, ut uiui penitus intereant, nimirum animo & corpore in gehennam proiecti, ut Apocalypſis, & Euangelium, & Eſaias, & alij ſcriptores diuini oſtendunt. Proinde qualicunq; & quantacunq; mala

Mala & ſupplicia.

mala

mala inferantur in hoc mundo, ſemper tamen cogitandum eſt uerbum Chriſti, quòd initia malorum hæc ſint. Quia niſi reſipiſcant uel in tormentis homines, æterna & inæſtimabilia tormenta patient̃, præ quibus hæc leuicula ſunt. ut Mauritius imperator Conſtantinopolitanus, à Chriſto ſupplex & obnixè petierit in hoc mundo puniri, & non in altero ſeculo puniri.

Peccata & crimina Romæ.

Peccata uerò, propter quę punienda Roma oſtenditur, in genere indicantur enormia: ut omnes alias monarchias uicerit ſcelerũ magnitudine. Si enim ſpectetur ſæuitia & cædes, Marius, Sylla, Pompeius, Iulius, ſatis locupletes ſunt teſtes. Si auaricia, Saluſtius eam in Romanis redundaſſe fatetur, & Verres, alíjq́ accuſatores prouinciarum ſatis oſtendũt: ut taceam Hannibalem, & Mithridatem, & Iugurtham, hoſtes Romanorum, qui nihil auarius putarunt. Si libidines & uoluptates undiq; etiam expetitæ, & ſuperbia, & alia flagitia ſpectentur, quid Caligula, Claudio, Nerone, Heliogabalo ſceleratius? Et qualis princeps, talis fermè populus. Diuiſo autem imperio, Gregorius ſeptimus Papa, & alíj non pauci longè ſuperarunt ethnicos iſtos principes omni genere ſcelerum. Vt minus ſit mirandum, ſi utrunq; caput, & collaterale & medium, iſtius Romani capitis exemplo fuit infectum magnis multiſq́ ſceleribus. Et quid uerbis opus eſt? Roma beſtia dicitur, ut uno uerbo ſentina & lerna malorum ſignificetur. Neq; ſine cauſa Iudæi Romanum regnum uocant regnum peccati. Germanicum autem imperiũ, aut ſi placet Romanum potius appellare, tum Chriſtianum, & proinde ſacrum aut ſanctum erit, quum legibus Chriſti gubernatum ſub illo ſancto ſanctorum principe, Chriſtianis uirtutibus iterum ſplenduerit. Et eccleſia Romana erit apoſtolica & ſancta, non meretrix & magna mater ſcortationum, nõ Augiæ ſtabulum, quum Petri & Pauli doctrinam, Chriſtiq́ Ieſu doctrinam euangelicam in precio habuerit, abiectis hominũ commentis, quæ cum diuinis libris uel maximè pugnant.

Cæterùm ſpeciatim obijcit̃ impietas, quæ omnia peccata com-

comprehendit, quæ pugnãt cum quatuor primis Decalogi præceptis, ut blaſphemia, idololatria, ſuperſtitio, falſæ doctrinæ, perſecutio religionis ueræ, & alia. Et ſuperbia, iniuſtitia, tyrannis atque crudelitas: quæ aliquoties ingeritur. Quum ergo Roma peccauerit contra præſcripta legis diuinæ, ea faciendo quæ uetat concio diuinæ Maieſtatis, & prætermittendo officia quæ poſtulat: iuſtum eſt Domini iudicium aduerſus imperium Romanum, ut grauiſsimas pœnas luat, ſiquidem omnia regna uicit magnitudine flagitiorum.

Scopus uaticinij.

Tertio loco perpendi oportet ſcopum uaticinij, cur Dominus Deus hæc mala denunciarit Romanæ monarchiæ: qui uoce humana leonis ſubindicatur. Etſi enim iudex ut leo rugiens occurrat, ac in ira ſua loquatur contra hoſtes ſuos, & eccleſiæ ſuæ, illos'que in fauore ſuo conturbet, iuſtitiam tamen miſericordia temperat, ac philanthropia, & amore quodam ineffabili erga genus mortalium. Sermones etenim diuini, quicunq; mala denunciant illi genti, aut illata commemorant, ſpectant utilitatem & bonum generis humani: & eximium quidem bonum, ſalutem uidelicet omnigenam. Quemadmodum etiam Dominus Deus & pater cœleſtis inferendo plagas, aut beneficia conferendo, non ſuum commodum ſpectat. Nam quia beatus eſt ſolus, nec poteſt aliquod bonum accedere, quod beatiorem faciat: ſuum aliquod commodum non quærit, ſed omnia confert ad hominũ ſalutem. Ideo de beneficijs Paulus dicit: O' homo neſcis, quòd Dei benignitas inuitet te ad pœnitentiam? De afflictionibus autẽ, Dauid Pſal. CXVIII dicit: Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me, ut diſcam mandata tua. Quanquam uerò prophetæ Iſraelitarum potiſsimè concionantur de rebus ſui populi, cõminantes mala peccantibus, & pollicentes bona Deum reuerentibus, ac reddentes cauſas ob quas afflixit Deus: ita moderantur tamen ſermonem, ut omniũ eruditioni uaticinia ipſarum ſint aptata: ſimul'que uaticinantur de exteris gentibus, uicinis remotis, amicis hoſtibus, ſui temporis & poſthac futuris, ita

Salus hominũ, finis eſt prophetiæ ſacræ.

ſermonem temperantes, ut ea doctrina Iſraelitis quoque ſit accommodata. Præterea ne quis diſsimulare poſsit uel homo uel populus, quin ad ſe quoque pertineāt, quę Iſraelitis, aut gentilibus ſunt dicta & ſcripta, in genere quoque uniuerſis accommodantur, quæ ſingulis fuerant dicta particulatim. Vt uerbi gratia, Eſaias capite 13. & ſequentibus, uaticinatur regno Iuda præcipuè, uocās Hieruſalem & Iudæam uallem uiſionis: ſed adiungit ſermones de regno Samariæ, de Palæſtinis, Tyro, Idumæis, Moabitis & Amonitis, Arabibus, Syris, Aegyptijs, Aethiopibus, Babylonijs, Aſſyrijs. Et poſtremò cap. 24. uſque ad 28. ſubijcit uniuerſalem ſermonem, quo ſingulis populis dicta conuertit ad generalem doctrinam cunctorum hominū, ubicꝫ locorum, & quouis tempore uſque ad conſummationem ſeculi. Cuius orationis ſumma eſt: Deus omni genere malorum afficiet atque mulctabit mundum, ob peccata ſua: nec quiſquam ſeruabitur, niſi qui reſipicentia uera confugerit ad miſericordiam & opem diuinam. Ita Hieremias cap. 25. Poculum uindictæ cœleſtis propinat deinceps omnibus nationibus & populis. Ad eundem modum Ezechiel cap. 33. & 34. Iſraelitis dicta omnibus accommdat. Et in Apocalypſi, pœna intentata Antichriſto & eius profeſsis ſectatoribus, cunctis ſimiliter decernitur, qui peccata eorum imitantur, homicidis, impuris, idololatris, mendacibus, canibus, porcis, & meticuloſis nimium, qui ob temporaria commoda uel incommoda ueritatem agnitam & confeſſam deſerunt. Et ſi quis animaduertat in hiſtorijs, nullam Deus gentem ab origine mundi aliqua inſigni calamitate affecit, niſi præmonitam uel per aliquos uates, uel prodigijs & monſtris, uel utrocꝫ.

Non eſt perſonarū reſpectus apud Deum.

Nam Deus princeps mundi, atcꝫ parens hominum uniuerſorum, idem eſt in omnes, necꝫ perſonam accipit in iudicio: ſed ſimiles & æquales peccato, ſimili & æquali ſupplicio afficit. Quodcꝫ illi diſplicet, quod odit, quod uituperat, reprehendit, damnat, punit in ſuo populo Iſrael: idem quoque diſplicet ac dānatur ſimiliter in Babylonijs, Aſſyrijs, Aegy-

ptijs,

ptijs, Perſis, Græcis & Romanis: hodiéque in Iudæis, in Mahumedicis, in Paganis, in Chriſtianis, ſeu Papiſticis, ſeu non Papiſticis. Vt'que uulgo dicunt, De ſimilibus eſt planè idem iudicium.

Porrò quum hoc iudicium, id eſt, reuelatio iuſtitiæ & ultionis diuinæ paratæ imperio Romano, primùm unitæ, deinde uerò tripartitæ, in imperium Conſtantinopolitanum, & Papiſticum, & Mahumedicum, ſaluti humanæ ſit deſtinatum: meminiſſe oportet illius dicti Apoſtolici, Nõ aliud nomen datũ eſſe inter homines, in quo nos oportet ſaluos fieri, quàm nomen Chriſtianum. Igitur Chriſtianiſmus uerus & ſempiternus, utraque & diuina ſapientia eſt ſcopus tum huius uaticinij, tum aliorum, ut qui notitiam Chriſti ſeruatoris diuino munere adepti ſunt, in ea perſeuerent, indiesq́ magis progrediantur: & qui à ſalutifera inſtitutione Chriſti ſunt alieni, ſiue Iudæi, ſiue Mahumedici, ſiue errantes Chriſtiani, adducantur in uiam ſalutis per Chriſtum, ac liberentur à ſuperſtitione, à falſis perſuaſionibus, à ſceleribus & uitijs, quæ iuſtam iram & uindictam numinis præpotentis adducunt. Nec fruſtra erit unquam iudiciorum Dei explicatio: ut Eſaias dicit de uerbo diuino, quòd non redeat uacuum. Primus enim fructus eſt, ut homines admoniti de peccatis ſuis, & impendente ira Dei, ac paratis ſupplicijs, emendatione ac uera pœnitentia ſubterfugiant iram Dei, & exitium: ut Ioannes Baptiſta iubebat homines, reſipiſcendo ſeſe imminenti exitio ſubducere. Et Eſdras decimoſexto capite, 4. libri: Ecce iudex Deus, timete eum. Deſinite à peccatis ueſtris, & Deus deducet uos, & liberabit de omni tribulatione. Væ autem ijs qui conſtringuntur à peccatis ſuis, & obteguntur ab iniquitatibus ſuis: quemadmodum ager conſtringitur à ſylua, & ſpinis tegitur ſemita eius, per quam non tranſit homo: & excluditur, & mittitur ad deuorationem ignis. Ratio igitur, & modus, & uia effugiendi mala, quæ partibus diuiſæ Romanæ monarchiæ filius & uerbum Dei minatur, eſt

Chriſtianiſmus uerus ſcopus.

Petrus Act. 4.

Fructus uaticiniorum minãtiũ pœnas delinquentibus.

Vt Ebræor. 6. Terra, &c.

una reſipiſcentia, ut reiecta iniuſtitia, colatur iuſtitia, quæ confirmat thronos, & eſt ſacrificium populorum, teſte Solomone: Pro tyrãnide, ſint moderata imperia: pro ſuperbia, cui reſiſtit Deus, colatur humilitas, quæ placat Dominum Deum, cui fauet, cui dat gratiã: pro impietate, colatur Chriſtiana pietas: denique pro Mahumede, & pſeudopropheta Rom. principes atque populi amplectantur Ieſum Chriſtum filium Dei, ut Dauid Pſal. 11 monet, ac cœleſtis patris uox: Hic eſt filius dilectus, hunc audite. Huc pertinent etiã piæ preces ad Deũ effuſæ per nomen mediatoris Ieſu Chriſti, ut Dominus conuertat corda, & cõcedat ſpacium pœnitentiæ. Quomodo Hieremias docuit orare pro Babylonico imperio, & Paulus pro omnibus magiſtratibus: & Tertullianus docet, eccleſiam oraſſe pro imperio Rom. cuius tamen fatum non ignorabat, ex Daniele & reuelatione Chriſti edocta. Proximus fructus eſt, ut ſi principes & toti populi minus reſipiſcant exemplo Niniuitarum, ſed pergãt in ſe ultionem cœleſtem irritare, ſaltem aliqui ſeniores liberentur: ut Noe, ut Lot, ut Hieremias, Daniel, Ezechiel, & alij. Nam Apocap. 18. Dominus ait: Exite de illa populus meus, & ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Et Eſaiæ 24. Pauculi quidam ſeruandi oſtenduntur, quoties Dominus exercet iudicium, in uallibus & inſulis agentes: hoc eſt, humiles, & reuerentes ſermones Dei, quiq; mundo nõ ſunt cõformes in malis ſtudijs & ſceleribus. Qui etiam Dominum Deum prædicant iuſtum & ſanctum in ſuis iudicijs. Et in Eſdra: Tunc apparebit probatio electorũ meorum, ut aurum quod probatur ab igne. Audite dilecti mei, dicit Dominus: Ecce adſunt dies tribulationis, & de his liberabo uos. Poſtremò hac manifeſtatione iudiciorum Dei, notitia ipſius & gloria illuſtratur apud alios populos, quæ locorum & temporum interuallo diſiuncti ſunt: ut pij congaudeant, aſſentientes iuſtitiæ diuinæ, & Dominum Deum glorificent. Non quòd uoluptatem capiant ex interitu peccatorum: ſed quia erant incurabiles

incurabiles homines, intelligunt bonum eis fuiſſe, ut uel ſupplicijs coercerentur à peccato: & pij omnes magis in religione uera confirmentur, alij'que cernant minimè Deum probare ſcelera, etiam ſi diutius quandoq; differat pœnam, nolens quenquam perire, ſed omnes reſipiſcere ac ſaluos euadere. Vt alieno malo docti, reuereantur iuſtum & ſanctum Deum, illiq; fidant, & uoluntati eius obtemperent. Quam rationem Eſaias maximè urget in ſermone, quo Babylonis euerſionem & populi ſui captiui liberationem præcinit. Et Eſdrę uaticinium dicit: Reſiduum populum meum liberabit cum miſeria, qui ſaluati ſunt ſuper fines meos, & circũdabit eos, quoaduſq; ueniet finis, dies iudicij. Et Apocalypſis iudicium Romæ concludit hymno Haleluiah: & epinicio ſempiternis temporibus in eccleſia ſanctorum decantãdo, Laus & gloria & uirtus Domino Deo noſtro, &c.

Et in hæc tria capita, uelut in locos communes, ſi quis referat uaticiniũ Danielis de Romano imperio, toto cap. 7. & Eſdrę cap. 15. 16. & Apocap. 17. 18. 19. ampliſsimam doctrinam à Domino Deo nobis cernet exhibitam, in qua principes nominis Chriſtiani, & politiæ, & priuati homines cõſilium tutum & ſimplex & breue capiant, quid facere quemq; deceat in his tempeſtatibus reipublicæ Chriſtianæ, & totius mundi ruentis in ultimum exitium.

Tempus huic uaticinio præfixum.

Porrò quia in uaticinijs refert plurimum, ſcire quando initium capiant res, de quibus loquuntur, aut finem, illa etiã non prætermittantur hoc loco. De quibus Eſdras 9. cap. Metiens metire tempus in ſemetipſo: Et erit, cum uideris, quando tranſierit pars quædam ſignorum, quæ prædicta ſunt, tũc intelliges, quoniam ipſum eſt tempus, in quo incipiet altiſsimus uiſitare ſeculum, quod ab eo factum eſt. Et quando uidebitur in ſeculo motio locorum, & populorum turbatio, tunc intelliges, quoniam de his erat altiſsimus locutus à diebus, qui fuerunt antè ab initio. Sicut enim omne quod factum eſt in ſeculo, initium habet pariter & conſummationem, & cõſummatio eſt manifeſta: ſic & altiſsimi tem-

pora initia habent manifeſta in prodigijs & uirtutibus, & conſummationes in actu & in ſignis. Ac finem præſtituit, iudicij nouiſsimi diem, ut ſuperius indicatũ eſt, & apertius 7. capite inquiens: Dies iudicij erit finis temporis huius, & initium temporis futuræ immortalitatis, in quo trãſiuit corruptela, ſoluta eſt intemperantia, abſciſſa eſt incredulitas: creuit autem iuſtitia, orta eſt ueritas: & reliqua. Finis igitur iudiciorum Dei aduerſus Romam eſt notiſsimus, initiũ uerò coniectandũ eſt ex ſignis propoſitis. Aliquando enim certum initium temporis præſtituitur diſertis uerbis, & numero dierum aut annorũ: ut in Iona dies quadraginta, intra quos pereat Niniuæ: in Eſaia unus annus, aut tres, aut LXV, aut LXX anni. Et LXX captiuitatis Babylonicæ anni præſcribuntur, poſt quos libertas Iſraelitis obtingat. In Apocalypſi autem anni DCLXVI notãtur uenturæ beſtiæ ſecundæ, & M. imperio diaboli. Aliquando ſigna quædam ponuntur: ut ſtella noua, dum naſcetur Meſsias: ut abominatio ſtans in loco ſancto, uel idolum in templo, inſtante excidio Hieroſolymorum. Et ſciſcitãtibus diſcipulis, quando hæc fient, & quod ſignum aduentus tui & conſummationis ſeculi? Dominus reſpõdit: De illa die & hora nemo ſcit, neq; angeli cœlorum, niſi ſolus pater. Ab arbore autem fici diſcite ſimilitudinem. Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas. Ita & uos, cum uideritis hæc omnia, ſcitote quia propè eſt in ianuis. His ergo incipiẽtibus fieri, reſpicite, & leuate capita ueſtra, quoniam appropinquat redemptio ueſtra.

Romani imperij perturbatio mouẽtibus ſe pennis contrarijs, & inſtante iam diuiſione.

Diuus Hieronymus, ſcribens epitaphium ſermonem ad Heliodorum Nepotiani, Nondum biennio elapſo poſt extinctum Ruffinum, qui penna quarta ſubalari notatus eſt in aquila myſtica, initium diuidendæ ac periturae monarchiæ deſcripſit graphicè, & cauſas malorũ, & remedia ſimul oſtẽdens. Quẽ locũ uice coronidis adijcere uiſum eſt: ut principes Chriſtiani & populi cernant euidẽtius ex tanti uiri ſententia, quãtopere interſit omniũ, diuinã admonitionẽ huius

uaticinij

uaticinij de fatis Rom. monarchiæ nō contēnere: niſi decretum eſt deteriora experiri ijs, qui experti ſunt maiores, contemnēdo cōſiliū Domini. Adhuc enim manus Domini extenta eſt, nec eſt auerſus furor eius: ſiquidē homines non reuertūtur ad Dominū percutientē ipſos, neq; Dominū exercituum requirūt. Sic autē Hieronymus loquit: Horret animus, tēporū noſtrorū ruinas perſequi. Viginti & eo amplius anni ſunt, q inter Cōſtantinopolim & alpes Iulias quotidie Romanus ſanguis effundit. Scythiā, Thraciā, Macedoniā, Dardaniā, Daciam, Theſſaliā, Achaiam, Epirū, Dalmatiā, cunctasq; Pannonias, Gotthus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vuandali, Marcomanni uaſtant, trahunt, rapiunt. Quot matronę, quot uirgines Dei, & ingenua nobiliaq; corpora his belluis fuere ludibrio? Capti Epiſcopi, interfecti presbyteri, & diuerſorū officia clericorū. Subuerſæ eccleſię, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, martyrum effoſſæ reliquiæ. Vbiq; luctus, ubiq; gemitus, & plurima mortis imago. Romanus orbis ruit: & tamen ceruix noſtra erecta nō flectitur. Quid putas nūc animi habere Corinthios, Athenieſes, Lacedæmonios, Arcadas, cunctamq; Græciā, quibus imperāt Barbari? Et certè paucas urbes nominaui, in quibus olim fuere regna non modica. Immunis ab his malis uidebatur Oriens, & tantum nuncijs cōſternatus. Ecce tibi anno præterito, ex ultimi Caucaſi rupibus immiſsi in nos, non iam Arabiæ, ſed Septentrionis lupi, tantas breui prouincias percurrerunt. Quot monaſteria capta? Quantæ fluuiorum aquæ humano cruore mutatæ ſunt? Obſeſſa Antiochia, & urbes reliquæ, quas Halys, Cydnus, Orontes, Euphratesq; præterfluunt. Tracti greges captiuorum: Arabia, Phœnice, Palæſtina, Aegyptus timore captiuæ. Non mihi ſi linguę centū ſint, oraq; cētū, ferrea uox, omnia pœnarū percurrere nomina poſsim. Neq; enim hiſtoriā ꝓpoſui ſcribere, ſed noſtras breuiter flere miſerias. Alioquin ad hęc meritò explicāda, & Thucydides & Saluſtius muti ſint. Felix Nepotianus, qui hæc nō uidet: felix, qui hæc nō audit. Nos miſeri, qui aut

De his ſuperius in hiſtorica demonſtratione capitum & ſubalariū pennarum.

Turci à Ruffino excitati.

patimur, aut patientes fratres noſtros tanta perſpicimus. Et tamen uiuere uolumus: eosq́ qui his carent, flendos potius quàm beatos putamus. Olim offenſum ſentimus, nec placamus Deum. Noſtris peccatis Barbari fortes ſunt: noſtris uitijs Romanus ſuperatur exercitus. Et quaſi hæc non ſufficeret cladibus, plus penè bella ciuilia, quàm hoſtilis mucro conſumpſit. Miſeri Iſraelitæ, ad quorum comparationem Nabuchodonoſor ſeruus dicitur. Infelices nos, qui tantum diſplicemus Deo, ut per rabiem barbarorum illius in nos ira deſæuiat. Ezechias agit pœnitentiam, & centum octoginta quinq́ millia Aſſyriorum ab uno angelo una nocte deleta ſunt. Ioſaphat laudes Domini concinebat, & Dominus pro laudante ſuperabat. Moyſes contra Amalech non gladio, ſed oratione pugnauit. Si erigi uolumus, proſternamur. Prò pudor, & ſtolida uſque ad incredulitatem mens. Romanus exercitus uictor orbis, & dominus, ab his uincitur, hos pauet, horũ terretur aſpectu, qui ingredi nõ ualent: qui ſi terrã tetigerint, ſe mortuos arbitrantur. Et non intelligimus prophetarũ uoces, Fugient mille uno perſequente? Nec amputamus cauſas morbi, ut morbus pariter auferatur: ſtatimq́ cernamus ſagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere?

Remedia malorum, & cauſæ. *Eſai. 37.* *2. Paralip. 20.* *Exod. 17.*

Atque idem Hieronymus presbyter, lumen clariſsimum eccleſiæ Latinæ, & doctor eximius, quid hodie de Papatu Romano ſtatuendum ſit, non obſcurè ſignificauit, appellãs Romanam, non Eccleſiam ſanctam, qualem Petrus & Paulus, & alij ſanctiſsimi uiri doctrina Chriſtiana cõſtituerunt, cuius etiam aliquas reliquias ſupereſſe in urbe iſta ſpero: ſed conſpirationem ſacerdotum inſtitutis Chriſti principis reluctantem, meretricem purpuratam, & Babylonem. Remittit enim ad iudicium diuinum, quod ſummus & æternus pontifex Eccleſiæ catholicæ, & rex regum Ieſus Chriſtus promulgauit in reuelatione ſua: ei'que ſubſcribit uir ſanctiſſimus & omnibus credentibus in Chriſtum præbet exemplum, quod tutiſsimè ſequantur. Quemadmodũ & Eſaias propheta in bello periculoſiſsimo Iudaici regni, dum mult

Hieronymi iudicium de Roma, hodie quoque perpendendum.

prophetias & diuinationes falſas requirendas eſſe clamitarent, à quibus conſilium & conſolationem & opem atque malorum depulſionem peterent, ad uerbum Dei ſcriptum prouocat. Sic enim loquitur cap. 8. Et cum dixerint ad uos, quærite à Phytonibus & à diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis: Nunquid non populus à Deo ſuo requiret uiſionẽ pro uiuis & mortuis? Ad legem magis, & ad teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta uerbum hoc, non erit eis matutina lux. Proinde ipſe quoque ſubſcribens diuo Hieronymo, & eccleſiæ ſanctæ catholicæ, Romanam dominationẽ in populo Chriſtiano coram tribunali diuino ſpectandã & iudicandam exhibebo: ut cuncti cernant eſſe tempus, quo uenefica ſceleratiſs. deſeratur.

IVDICIVM DIVINVM DE BESTIA ROmana priori & poſteriori, hoc eſt, dominatu iniuſto Paparum. Apocal. 17. 18. 19.

Verba & ſententiæ mutuatæ ſunt ex ſermonibus Eſaiæ cap. 13. 14. 21. 40. &c. & Hieremiæ 50. 51. contra Babylonem: ut Roma ſciat, ultionem ſibi paratam à Deo, quam olim pertulit Babylon.

ET uenit unus de ſeptem angelis, qui habebat ſeptem phialas, & locutus eſt mecũ dicens: Veni, & oſtendam tibi damnationẽ meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram, de uino proſtitutionis eius. Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum: Et uidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem. Et mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide precioſo, & margaritis, habens poculũ aureum in manu ſua, plenum abominatione & immundicia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen ſcriptum, myſteriũ, Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ. Et uidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrũ Ieſu. Et miratus ſum cum uiderẽ illam, admiratione magna.

Meretricẽ uocat, ut Sibylla παράκοιτιν, pellicem.

Vt in Daniele, beſtia Roma. Purpura rubra ſceleribus maximis, ut eccleſia candida ueſte lucet.

Et dixit mihi angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris & beſtiæ, quę portat eam, quæ habet capita ſeptē, & cornua decē. Beſtia quam uidiſti, fuit, & non eſt: & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit. Et mirabūtur inhabitantes terram, quorum nomina ſcripta non ſunt in libro uitæ à conſtitutione mundi, uidentes beſtiam quæ erat, & non eſt. Et hic eſt ſenſus, qui habet ſapiētiam.[a] Septem capita [b] ſeptē montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt. Quinq; ceciderunt, unus eſt, & alius nondum uenit. Et cum uenerit, oportet illum breue tempus manere. Et beſtia quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt, & in interitū uadet. [c] Et decē cornua quæ uidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperūt, ſed poteſtatem tanquam reges una hora accipient poſt beſtiam. Hi unum cōſilium habent, & uirtutem, & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent. [d]Hi cum agno pugnabūt, & agnus uincet illos (Quoniam Dominus dominorum eſt, & Rex regum) & qui cum illo ſunt, uocati, & electi, & fideles. Et dixit mihi: Aquæ quas uidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ. Et decem cornua quæ uidiſti in beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam faciēt illam, & nudam: & [e] carnes eius manducabunt, & ipſam igne concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitū eſt illi, ut unam faciant uoluntatē, ut dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſummētur uerba Dei. Et mulier [f] quam uidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.

Et poſthæc uidi alium angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt à gloria eius. Et exclamauit in fortitudine dicēs: [g]Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio [h] dæmoniorū, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis uolucris immundæ, & odibilis. Quia de uino iræ fornicationis eius biberūt [i] omnes gētes. Et reges terrę cum illa fornicati ſunt:

&

a. Sapiētiæ eximiæ & diuinæ eſt, nouiſſe beſtiam & meretricem.

b. Sibylla, ἑπτάλοφος ῥώμη, *ſepticollis* Ro*ma, ubi ſeptimontiū, &c.*

c. Reges *poſt* N*eronē perſecutorem immaniß.* Eccle*ſiæ numerantur, ut ſuprà in* 12 *pennis indicatum.*

d. 10 *reges, qui prouincias imperij* Rom. *occuparunt, & poſtea* Roma*no* Pap*æ ſe ſubiecerūt, appellantes ſanctiß, dominum noſtrum, &c.*

e. De*fenſores eius, tandē eius deuoratores:* Bernhar*dus.*

f. M*ulier meretrix* Rom.*ciuitas, & poſtea* Rom.*curia.*

g. Vt E*ſai. &* Hieron.

h. E*n uobis ſanctam* Romam.

i. Falſas doctrinas & ſuperſtitiones diffudit in urbem.

& mercatores terræ de uirtute deliciarum eius diuites facti ſunt. Et audiui aliam uocem de cœlo dicentem: Exite de illa populus meus, & ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Quoniam peruenerũt peccata eius uſq; † ad cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatũ eius. Reddite illi, ſicut & illa reddidit uobis, & duplicate duplicia ſecundũ opera eius. In poculo quo miſcuit uobis, miſcete illi duplum. Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum: quia in corde ſuo dicit, Sedeo regina, & uidua non ſum, & luctum non uidebo. Ideo in una die uenient plagæ eius, mors & luctus & fames, & igne comburetur: quia fortis eſt Dominus Deus, qui iudicabit illam. Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in delicijs uixerunt, cum uiderint fumum incendij eius, longè ſtantes propter timorem tormentorũ eius, dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam una hora uenit iudiciũ tuum. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt ſuper illam: quoniam merces eorum nemo emet amplius, merces auri & argenti, & lapidis precioſi, & margaritæ, & byſsi, & purpurę, & ſerici, & cocci: & omne lignum thymũ, & omnia uaſa eboris, & omnia uaſa de ligno precioſo, & æramẽto & ferro, & marmore: & cinamomum, & odoramẽtorum, & unguenti, & thuris, & uini, & olei, & ſimilę & tritici: & iumentorũ, & ouium & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum. Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerũt à te, & omnia pinguia & præclara perierũt à te, & amplius illa iam non inuenient mercatores hominum. Qui diuites facti ſunt ab ea, longè ſtabunt propter timorem tormentorum eius, flentes ac lugentes, & dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpura & cocco, & deaurata eſt auro, & lapide precioſo, & margaritis: quoniam una hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ. Et omnis gubernator, & omnes qui in lacum nauigant, & nautæ, & qui in mari operantur, longè ſteterunt, & clamauerunt, uidentes locum incendij

Remedium & uia ſalutis, Papam & eius colluuiem deſerere, ut Cardinalis Benno copioſe docet in uita Gregorij ſeptimi.

† ut clamor Sodomæ.

Threnodia, ut ſuperius Sibyllarum.

Nullum emporium Romæ æquandum.

dij eius, dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes, qui habebant naues in mari, de precijs eius: quoniam una hora deſolata eſt. Exulta ſuper eam cœlum, & ſancti apoſtoli, & prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium ueſtrum die illa. Et ſuſtulit unus angelus fortis lapidem quaſi molarem, magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & ultra iam non inuenietur. Et uox citharœdorum & muſicorum & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius. Et omnis artifex omnis artis nō inuenietur in te amplius. Et uox molæ non audietur in te amplius. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius. Et uox ſponſi & ſponſæ non audietur adhuc in te. Quia mercatores tui erant principes terræ: quia in ueneficijs tuis errauerunt omnes gentes: & in ea ſanguis prophetarum & ſanctorum inuētus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.

Sanctorum ecclesia gaudet in iudicio diuino.

Vt Hierem. 51.

Venefica Roma & homicida crudeliſ.

Poſt hæc audiui quaſi uocem magnam tubarum multarum in cœlo dicentium, Halleluiah: Laus & gloria & uirtus Domino Deo noſtro eſt: quia uera & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & uindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorū de manibus eius. Et iterum dixerūt Halleluiah. Et fumus eius aſcendit in ſecula ſeculorum. Et ceciderunt uigintiquatuor ſeniores, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes, Halleluiah halleluiah. Et uox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis eum, puſilli & magni. Et audiui quaſi uocem tubæ magnæ, & ſicut uocem aquarum multarum, & ſicut uocem tonitruorum magnorum, dicentium Halleluiah: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit ſe. Et datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido.

Sempiternum Halleluiah, & epinicium ſuper deuicta Roma.

Eccleſia Chriſti ſtabit in æternum.

do. Byſsimum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum. Et dixit mihi: Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarũ agni uocati ſunt. Et dixit mihi: Hæc uerba Dei uera ſunt.

Prognoma hoc nemo impediet ui humana.

FINIS.

CAPITVM LIBRI HVIVS ELENCHVS.

LIBRI PRIMI.

Eſdræ prophetæ, & legis diuinæ interpretis, uita & doctrina. Pag. 1
De imaginibus diuinis, & ſomnijs atq; uiſis prophetarum. 8
Imago Romanæ monarchiæ tripartitæ ſummatim explicata. 13
Aquilæ, quam uidit Eſdras, compendioſa explicatio. 16

LIBRI SECVNDI.

Eſdræ prophetæ ſomnium uaticinum, de fatis Ro. monarchiæ, quod libro eius 4. Cap. 10. 11. & 12. legitur. 30
Aquila gerens typum monarchiæ Romanæ. 37
Aquilæ pennæ 12. reges 12. 41
Octo pennæ ſubalares, 8 imperij Rom. inuaſores & tyranni. 49
Tria capita aquilæ, tria regna uel monarchiæ, natæ ex imperio Ro. 50
Octo pennæ, quæ tria capita quieſcentia aquilæ excitarunt 62
Romæ excidium 69
Tria capita, et pennæ duæ ſubalares aquilæ: in primis uerò Papatus deſcriptio. 75
Mahumedicum Imperium. 91
Chriſti iudicium de aquila, & eius reprehenſio. 108
Iudicium in Rom. Imperium, quod pronunciauit Balaam, Num. cap. 24. 110
Iudicium in Rom. Imperium unitum, quod pronunciauit D. Ieſus Chriſtus Apocal. 12. & 13. Ead.
Iudicium Romæ, quod pronunciauit Sibylla Erythræa. 114
Iudicium Romæ, quod pronunciauit Sibylla Sambethe, uxor Noe patriarchæ 116
Iudiciũ Romæ, quod Lactantius Firmianus pronunciauit lib. 7. Inſtit. cap. 15. 117

Iudicium Romæ, quod pronunciauit Hieronymus presbyter 119
Iudicium diuinum aduerſus Antichriſtum, regem ſecundæ Romæ, Apocalypſ. cap.13.14.16.19. 120
Iudicium diuinum aduerſus Antichriſtum, Danielis cap.11. 123
Iudicium diuinũ aduerſus Antichriſtum, quod pronunciauit Hieronymus doctor Eccleſiæ catholicus 125
Diuinum iudicium aduerſus Antichriſtũ, quod pronunciauit Lactantius lib. 7.Cap.17.19. 126
Iudicium diuinum aduerſus Antichriſtum Rom. & omnes incredulos, quod præcinuit Sibylla Sambethe, uxor Noe 129
Iudicium de Conſtantinopolitano imperio. 130
Iudicium de lege atq; imperio Mahumedis. 131
Iudicium diuinum de monarchia tota Rom. quod Eſdras in hoc uaticinio protulit. 135
Iudicium diuinum de beſtia Romana priori & poſteriori: hoc eſt, dominatu iniuſto Paparum. Apoc.17.18.19. 147

ERRATVM

Pag.1.uerſ.16. Saraiæ 6.8. legendum, decimoquinto & decimoſexto.

Reliqua diligens lector facile reſtituet. nam nobis propter temporis breuitatem recognoſcere non licebat.

part. 4. n. 70.

phil. 4. n. 70.

Phil. 4. n. 70.